SYNCRETISMUS CONFIDENTIALIS

NONNULLORUM DEBILIUM CATHOLICORUM IN X. PRINCIPIIS,

è

CONFIDENTIA CUM DISSIDENTIBUS, HAUSTIS, RELUCENS,

SALUTARITER EXTINGUITUR.

Per
P. GODEFRIDUM HANNENBERG S. J. THEOL.

Opus Posthumum.

CALISSII,

Typis, Collegii Societatis JESU.
Anno 1730.

IMPRIMATUR
ALEXANDER GORZENSKI

Canonic. Cathe. Gneſnens. Archi Diaconus & Offici: Caliſſienſis mpr.

JOANNES JUSKIEWICZ, PRÆPOSITUS PROVINCIALIS Soc. JESU per Poloniam.

CUm Opus quod inſcribitur *Syncretismus Confidentialis conſcriptum*, aliquot ejusdem SOCIETATIS Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate mihi facta ab A.R.P. Noſtro *Michàéle Angelo Tamburino*, Societatis Noſtræ præpoſito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem, has Literas manu meâ firmatas & ſigillo munitas dedi. Cracoviæ 27. Maij. 1730.

Idem qui ſupra mpr.

Ad Lectorem.

TAmetsi apud Dissidentes solùm Syncretismus verè & propriè talis locum invenerit, nihilominus languidiores quoque inter Catholicos, reperiuntur homines ejusmodi, qui nonnulla adversæ Religionis Principia, & Syncretismum quendam saltem impropriè dictum, unà cum confidentia (quem & propterea confidentialem nuncupamus) à modernis contraxêre Dissidentibus. Quoniam verò experientiâ edocemur, languorem eorum, qui se Catholicos profitentur, & quandam in Fide indifferentiam, Ecclesiæ sanctæ longè perniciosiorem esse, quàm præfervidas Sectariorum impugnationes: Quemadmodum & venenum in viscera receptum, plus afferre solet periculi, quàm Adversarius aperto Marte dimicans; unde & tales ipsimet DEO sunt abominabiles, juxta illud: *Utinam frigidus aut calidus esses! sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Apoc: 3. v. 16.* Proinde, invocato Numine, constitui, languorem hunc ad saniorem sensum reducere, & præfatum Syncretismum, dissipata, malè congestorum Principiorum strue, velut incendiū in scintilla restinguere.

PRINCIPIUM PRIMUM.

1. *UTquid tanta circa Veritatis indagationem, aut pænitentiæ aliorumq; bonorum operum exercitium, sollicitudo exigitur? Sine DEI Gratiâ nihil possumus prout oportet ad Salutem. Vel igitur dabit mihi DEUS Gratiam e. c. ad Pænitentiam, (idem censendum de tota gratiarum, ad finalem usque perseverantiam, ac consequenter ad Vitam obtinendam beatã, serie) Et quidem talem cui me prævidit infallibiliter cooperaturum; vel non dabit Gratiam, aut non talem? Si daturus: Ergo, cùm hæc non sit in potestate mea, expectandum donec dederit, & interim hoc Mundô utendum. Si non daturus; frustra sunt omnia: quidquid egero, non proderit ad Salutem.*

2 Siste gradum! quò te præcipitas Infelix homo! Expende toto Animi tui conatu, quæ dixero: ex hoc te, DEO auxiliante, confusionis Labyrintho, in viam rectam; ex desperationis barathro in sublime; è tenebris ad lucem, educam hodiè: Tu sequere præeuntem, &c.

ADVERTE PRIMO.

3. DEUM nostrum Misericordissimum, qui totus bonus, totus svavis, totus amor est, nec ullius interitum desiderat, cunctis hominibus largiri Gratias sufficientes, quibûs adjuti, Mandata ejus servare, & Vitam consequi valeant sempiternam. (Puta, saltẽ pro priori naturales & Generales, quibus si bene utantur, tunc & supernaturales ac speciales) Cùm enim non fictè, non illusoriè, sed seriò quantùm de se, omnium

mnium Salutem desideret, juxta illud: *Vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1. Tim: 2. v. 4. *Et Non vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam converti.* 2. Petri 3. v. 9. Cùm Christus mortuus sit pro omnibus, adeoque omnibus Gratiam promeruerit, quâ instructi, ea possimus credere & operari, quæ oportet, juxta illud. *Pro omnibus mortuus est Christus.* 2. Cor 5. v. 15. Et: *Qui dedit semetipsum Redemptionem pro omnibus.* 1. Tim: 2. v. 6. Igitur & omnibus largitur sufficientiam ex parte sui, modò homines juxta Libertatis suæ arbitrium cooperari non renuant.

4. Et quidem conferre solet DEUS Gratias verè sufficientes, ita ut quoties homines non operantur benè, nullum illis necessario requisitum desit ex parte DEI, nisi sola libera eorũ cooperatio: adeoque verificetur illud: *Perditio tua Israel. tantummodo in me auxilium.* Osee 13. v. 9. Quod ipsum ex innumeris Scripturæ locis constat manifestè. Exem: cau: *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare Filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Mat: 23. v. 37. En! Salvator ipse protestatur, nihil áuxilii impœnitentibus defuisse peccatoribus, liberam tantummodo eorum volitionem. Et: *Misit vocare invitatos, & nolebant venire.* Mat: 22. v. 3. Et: *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, intrabo ad illum.* Apoc: 3. v. 20: *Vocavi, & renuisti, extendi manum meam, & non erat qui aspiceret.* Prov: 1. v 24. Et: *Quid ultra facere debui Vineæ meæ, & non feci? ex-*

 pectavi,

pectavi, ut faceret uvas, fecit autem labruscas. Isa. 5. v. 4. Quis non videt, quoties homines non faciunt, quæ facienda sunt, ut salvi fiant, veram ex parte DEI nequaquam deesse sufficientiam, sed propriam duntaxat voluntatem.

5. Etiam tunc, cùm Deus illustrationes & Gratias extraordinarias, ex abysso Judicorum suorum, nonnullis confert peccatoribus, non eos necessitat, sed relinquit *in manu consilii sui, Eccles: 15. v. 14.* ut, quod voluerint, faciant, requirens liberam eorum cooperationem Gratia Dei habet se instar lucis illius, quæ circumfulsit Saulum in via: attamen liberè cooperari debebat, ut proinde quæreret: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. Hinc exclamat alibi: *Non ego, sed Gratia Dei mecum.* 1. Cor. 15. v 10. Id est, non ego solus, nec Gratia sola, sed mecum Gratia Dei operatur. Gratia Divina est velut stella illa, quæ tres ab Oriente Reges ad salvatorem Mundi perduxerat. Verùm & ipsi cooperari, iterque arduum suscipere debebant: profectò si stellam secuti non fuissent, ad Christum nequaquâm pervenissent. Gratia Dei clavis est ad cæli portas reserandas: sed ut aperias, dexteram tuam applica. Gratia Dei est nova scala Jacob: ast, ut ascendas, manus, pedesque admove. Duabus alîs in Cœlum evolamus; duabus rotîs provehimur in Patriam: una & pricipalis, est Dei Gratia; altera, humana cooperatio.

6. Elucidatur id vel in ipsis miraculosis Dei effectibûs. Ego te (inquit Dominus ad Petrum) in solatium Ecclesiæ, è carcere & compedibus, per

Angelum

Angelum meum liberabo: sed & tu fac quod potes: calcea te, & Angelum sequere, Ego Lazarum Fratrem vestrum mortuum resuscitabo ad vitam, inquit Dominus ad Martham & Magdalenam, sed & vos vestra agite: curate, ut saxum revolvatur à monumento. Ego te, tuosque communi Diluvio eripiam, inquit Dominus ad Noe: verùm & tu fac facienda, Arcam manibûs propriîs construe. Ego vos sanitati restituam, inquit Dominus ad ægros illos prope piscinam Hierosolymis decumbentes: sed & vos agite, quantum potestis, curet unusquisque, ut post commotionem aquæ ab Angelo factam, primus descendat in piscinam, Ego Civitatem Jericho in manus vestras tradam, inquit Dominus ad Ducem Exercituum Josue, sed & vos operemini, quæ præcipio: septies clangentibûs Tubîs circuite Civitatem, & corruent muri Jericho, Ego te à lepra mundabo, inquit Dominus per Prophetam Elisæum ad Naam: verùm & tu fac quantum in te est, lavare septies in Jordane &c: &c: En! si Deus etiam miraculosas hominibus exhibendo Gratias, liberam eorum exigit cooperationem; multò magìs dum ordinarias.

7. Ast (respondet hìc quispiam) nescio, num oblata Pœnitentiæ occasione, talem habiturus sim Gratiam, & in talibus circumstantiis, quam & in quibus Deus prævidet habituram consensum meum; an verò duntaxat talem, cui me non cooperaturum, ab æterno prævidit infallibiliter. Respondeo: id facili negotio scire poteris, cooperare tantummodo, age pænitentiam

 absque

absque mora: (quod manifestè in tua est Potestate: experire, si vis, percute pectus, vade ad Ecclesiã, confitere peccata &c:) & palpabiliter animadvertes, Gratiam tibi concessam esse talem,& in talibus circumstantiis, quam & in quibus Deus ab æterno prævidit habiturã consensum. Si enim cooperaris secundùm libertatem tuam,ut potes, Deus & actu videt, & prævidet cooperationem tuam; si verò non cooperaris, nec Deus prævidet eam. Non enim ideo aliquid est aut erit, quia Deus videt aut prævidet; sed potiùs quia est aut erit, ideo videt & prævidet. Sed de hoc postea amplius.

8. Hîs itaque ritè expensîs (ut non ambigo) & perceptis, desperabundum illud Dilemã tuũ, sic diluitur. Quoniam Deus omnibus (adeoque & tibi ad Pœnitentiam) gratias largitur sufficientes ad facienda ea quæ ad salutem sunt necessaria, solumque præterea liberam à nobis cooperationem exigit; hinc nemo de Deo conqueri; aut in Dilemma illud: vel habeo gratiam, & quidem talem cui prævisus sum consensurus, vel non? sese resolvere poterit. Quòd enim hic vel ille non faciat facienda, adeoque non habeat talem gratiam cui prævisus esset cooperaturus, & consequenter salutem non assequatur æternam, per ipsum stat hominem, Divinæ siquidem Gratiæ non cooperatur. Nec ullus prudens anxius & in dubio hærere potest, num videlicet habiturus sit gratiam talem,cui se cooperaturum Deus prævidit; cùm hanc ipsam habere possit si operetur, quod in ejus est Libertate: quam nulla sive visio sive prævisio alterius necessitat.

9. Obtrudunt adhuc aliqui. Verùm quidem
eſt, quòd per hominem ſtet ſua perditio. quate-
nus Divinis non cooperatur gratiis. Nec ideo
injuriam Deus facit cuipiam, quòd non talem
ſibi largiatur, quaſi eundem prævidet coope-
raturum; alteri verò concedat. Siquidem homo
etiam cum hac, cui non eſt conſenſurus, benè
operari poſſet ſi vellet: quòd autem nolit, ſibi eſt
imputandum. Quia tamen Deus utpote omni-
ſcius, eosdem peccatores, quos prævidet, his
auxiliis aut in talibus circumſtantiis datis con-
ſenſuros, prævidet quoque, aliis, aut in aliis cir-
cumſtantiis diſſenſuros, vel è converſo; & ni-
hilominus iſtis lagitur Dona ſua (& quidem ſu-
pernaturalia, ut valeant operari prout oportet
ad ſalutem) in iis circumſtantiis, in quibus con-
ſentient; aliis in iis tantùm in quibus non con-
ſentient. Hinc querelarum præbetur occaſio.

10. Reſpexit Chriſtus Petrum, & ita congruè
vocavit ad veram pœnitentiam, quomodo præ-
ſciebat, ne vocantem reſpueret: aſt Judam non
ſic reſpexit. Quibusdam confert Deus gratias,
extraordinariè ſvaves, intenſas, & ſpecialiter il-
luſtrantes intellectum, ac inclinantes volunta-
tem, quinimo ab intrinſeco infallibiliter mora-
liter inferentes cooperationem: ut patet in re-
pentina tot obſtinatiſſimorum peccatorum con-
verſione: e. c. in admirabili illa reſipiſcentia La-
tronis in cruce, Magdalenæ, Pauli, Matthæi,
Zachæi &c. Aliis non itidem. Alios rapit è vita,
ne malitia mutet intellectum; alios permittit vi-
vere, donec malitia pervertat intellectum. Alii
ex

ex permissione Dei, repentino casu obruti, moriuntur in peccatis suis; aliis ex ejusmodi Vitæ periculis vel miraculosè ereptis, tempus conceditur Pœnitentiæ &c.

11. Et licèt hinc minimè sequatur, Deum injustum esse, (ut diximus) cùm quilibet cuivis Gratiæ sufficienti & possit & debeat cooperari; sequi tamen videtur *Primo*, Deum respicere Personas & imperium quoddam exoticum ac crudele in homines fragiles exercere; cùm merè pro libito, ita ut stet pro ratione voluntas, hos sic adaptet, ut ad salutem perveniant, illos negligat ut pereant in æternum: tametsi in utraque classe etiam æquales reperiantur peccatores.

12. *Secundò* videtur sequi, totum Virtutis studium, & curam salutis extingvi in hominibus, eosque in omnem vivendi licentiam ac desperabundæ resolutionis barathrum dissolvi debere. Sic e c. discurrendo: Vel Deus statuit, tales gratias supernaturales, & in iis circumstantiis mihi dandas ad veram Pœnitentiam, quibus infallibiliter consensurus sum; item hujusmodi Auxiliorum seriem, cum qua sim ad finalem perseverantiam, ac tandem ad salutem, infallibiliter perventurus; nec permittere, ut in statu peccati, priusquam commodam Conversionis occasionem nactus fuero, repentina morte obruar &c: &c: Vel statuit, eas duntaxat conferre, cum quibus infallibiliter futurum est oppositum: & quidem statuit hæc, non attendendo ad id, quidquid interim boni viribus naturæ egero, aut non? Si primum: igitur non me agant peccata, quomodocun-

modocunque multiplicentur: agam ſiquidem pœnitentiam veram, perſeverabo finaliter, & proculdubio ſalvabor. Si ſecundum: Ergo quidquid egero, in caſſum ſunt omnia: Non agã pœnitentiam prout oportet, non perſeverabo finaliter in gratia, moriar in peccatis meis, vitam non conſequar ſempiternam.

13. Etiam ex hoc te ultimato, Divinâ adſpirante Gratia, eruam Labyrintho, & cunctîs prorſus ſolutîs perplexitatibûs, è Diaboli laqueis vindicabo. Seriò proinde, quæ ſequentur perpende, &c.

ADVERTE SECUNDO.

14. Ad illud Theologorum Axioma, quod pro dogmate habendum: *Facienti quod in ſe eſt, DEUS non denegat Gratiam*: ejusque rectam expoſitionem ſequere. Porro hominem ſive infidelem ante Fidem, ſive Fidelem ſed peccatorem ante pænitentiam, facere quod in ſe eſt, eſt facere ea bona opera, quæ poteſt viribûs naturæ (In homine verò juſto, ly *in ſe* pro ſupernaturalibus quoque operibus ſumitur) Quamvis autem etiam Naturæ vires, præſentim bona indoles, bona capacitas, bona educatio, bonæ cogitationes, & occaſio ad eas &c: Dona DEI ſint & Gratiæ quædam dici poſſint; non tamen tales, de quibus Res eſt in præſenti: ſed naturales & generales, ſeu gratiæ Creationis, quales DEUS promiſcuè concedit hominibus, relictâ ordinariè in curſu ſuo Naturâ, & accomodando ſe exigentiis cauſarum creatarum. Aſt in præſenti agitur de Gratiis Chriſti, ſeu Donis ſu-

pernaturalibus, maximè intrinsecè talibus, quibus homo prævenitur & adjuvatur à Deo, ut operari valeat non solùm honestè, sed & prout oportet ad salutem consequendam.

15. Nec dubitandum est, hominem, sive Infidelem sive peccatorem solis naturæ viribus posse multa bona operari naturalia: imò plurima ejusmodi opera dari apud quosdam sive Ethnicos sive peccatores Fideles. Cùm erroneum sit dicere, Naturam humanam adeo corruptam esse, ut sine gratia DEI supernaturali nonnisi ad peccandum valeat. Hinc meritò damnàvit Ecclesia tum illam Propositionem Baji 27. *Liberum arbitrium sine Gratiæ DEI adjutorio, nonnisi ad peccandum valet:* tum illam Quesnelli 38. *Peccator non est liber nisi ad malum, sine Gratia Liberatoris.* Sicut & 1. ejusdem: *Animæ, quæ DEI Gratiam amisit, manet generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.*

16. Patet idipsum ex Sacris Literis, & communi Doctorum sensu. S. enim Paulus Rom: 2. v. 14. ait: *Cùm Gentes quæ Legem non habent, naturaliter ea quæ Legis sunt, faciunt, ejusmodi Legem non habentes, ipsi sunt sibi Lex, qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis.* Et Josue c. 2. Opus bonum laude & præmio temporali dignum operata est Ethnica illa mulier Rahab, quód missos à Josue Exploratores servaverit. Et Exodi 1. Obstetrices Ægypticæ, tametsi DEUM verū non colerent, ut oportet, opus nihilominus bonum & præmiô dignum, parcendo Judæorum infantibus, posuerant: ajt enim Scriptura: *Be-*

ne ergo DEUS fecit Obstetricibus, & ædificavit eis Domos. Quod certè de operibus earum naturalibus intelligendum: nam supernaturalia non præcisè domiciliîs terrenîs præmiata fuissent. Hinc de Nabuchodonosore S. Hieronymus in Ezechi. 29. v. 18. scribens, testatur: *Ex eo, quòd Nabuchodonosor mercedem acccepit boni operis* (adstitit enim Israelitis adversus Tyrum) *intelligimus, etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede DEI judició præteriri.* Idem in cap: 1. ad Gal: sic disserit: *Multi absque Fide & Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua vel sanctè, ut Parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant &c:* Quæ communiter à Doctoribus de operibus bonis naturalibus intelliguntur.

17. Unde D. Thomas 1. 2. 9. 109 a. 2. *Natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono Naturæ privetur. Potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ, per virtutem suæ Naturæ aliquod bonum particulare agere* Et Magister Sententiarum in 2. dist, 26. cap: penultimo, citans S. Augustinum, ajt: *Ante Gratiam prævenientem & operantem, quædam ex solo libero arbitrio procedunt: quibus tamen homo non meretur vitam nec gratiam, qua justificatur.* Et paulo post: *Non negamus autem, multa ante hanc gratiam ab homine fieri bona per liberum arbitrium, ut tradit D. Augustinus.*

18. Ex dictis itaque manifestè liquet, etiam apud Infideles & peccatores haud pauca reperiri Opera bona: ad quæ tamen elicienda non dantur gratiæ intrinsecè supernaturales. Alias

enim opera hæc non essent naturalia, ut Scriptura & Patres testantur, sed supernaturalia. Censendum proinde est, auxilia ejusmodi concedi Infidelibus, tantùm in ordine ad Fidem veram concipiendam, & ad desideria prævia ac efficacia veræ Fidei; aut etiam interdum, urgentè necessitate salutis, dum exterior Fidei prædicatio haberi nequit, ad contritionem perfectam, quæ Fides in voto nuncupatur: Peccatoribus verò qui rectè credunt, in ordine ad veram Pænitentiam. Utquid enim his ad alia opera bona, e. c. ad Eleemosinas, orationes &c. darentur gratiæ & Inspirationes intrinsecè supernaturales, cùm certum sit, Infidelem aut Peccatorem, actionibûs istiusmodi, nullum donum supernaturale mereri, & multò minùs justificari posse? Et ideo Tridentinum Concilium Ses: 6. c. 4. docet: *Translationem peccatoris ad Gratiam, post Evangelium promulgatum fieri non posse sine Lavacrò Regenerationis aut ejus Voto.*

19. Hoc clarè docet Doctor. Angelicus 2. 2. q. 10. a. 4. *Manifestum est,* inquit, *quòd Infideles non possunt operari bona opera quæ sunt ex Gratia, scilicet Opera meritoria: tamen bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari possunt, unde non oportet, quod in omni suo opere peccent.* Ejus vestigiis insistit celeberrimus ille Theologus Molina, Soc: JESU Deip: 14. Et Lessius Disput: Apologetica de Gratia, c. 10. *Etsi Infidelis conaretur circa dolorem peccatorum, non ideo DEUS daret illi auxilium, quo posset dolere sicut oportet ad Justificationem, antequam habeat Fidem: sed primùm inspi-*

rabit ei

rabit ei opportuna ad Fidem, ut quærat Medicum, per quem possit liberari & Salvari. Proportionatè loquitur de peccatore Fideli, quod auxilia supernatùralia, ante omnia conferantur ei ad pænitentiam. Et ideo D. Thomas inferius citandus, etiam Cornelii, illius timorati Gentilis orationes & eleemosinas, ad opera refert naturalia. Certè, si DEUS ad hujusmodi actiones aliquas tantùm, & quidem nonnullis duntaxat Infidelibus aut peccatoribus gratias conferret supernaturales, eadem desperatio, eadem absurda mox enumeranda sequerentur.

20. Verbô, possunt & volunt complura dari, opera bona naturalia in Peccatoribus, imò & Infidelibus absque Inspiratione & Gratia supernaturali: Verum hæc nequaquam fiunt sicut oportet ad salutem, nec sunt Merita etiam de cóngrùo Donorum supernaturalium, nec Dispositiones positivæ ad gratiam justificantem & Vitam æternam. Verùm præcisè se habent, ut quædam occasio credendi vel pœnitendi, ut quædam subordinatio Gratiæ Divinæ, quædam non repugnantia & Remotio impedimenti. Siquidem enim Deus ob Christi Merita paratissimus est, in omnes suam misericordiam effundere, maximè illum decet, ut hoc in eos faciat, qui impedimenta non objiciunt, & viribûs naturæ rectè uti satagunt.

21. Axiomatis itaque præfati (ut quæ universaliter dicta sunt, exemplificentur) Sensus est iste. *Primus:* Qui Fide Christiana Catholica nondum insignitus est, faciat quantùm in se est, & viribûs

viribûs naturæ poteſt: ſedulò inquirat Fidei veritatem; oret inſtanter, ut occaſionem ſibi Deus & lumen ad veram perveniendi Religionem ſuggerat; audiat noſtras prædicationes editiones polemicas diligenter relegat, ſi poteſt; ubi Intellectum convictum animadvertit, Fide primùm humana credat; juxta dictamen rectæ rationis vivat; fugiat peccata; in operibus bonis ſe exerceat &c. Et hæc omnia, quantùm poteſt viribûs naturæ. Deus autem miſericordiſſimus, dabit illi Gratiam etiam ſupernaturalem ac efficacem veræ Fidei, ejusque Profeſſionis, & conſequentia ad eam.

22. *Secundò*, Si jam Fidelis, verusque Catholicus es, ſed peccator, fac & tu quod in te eſt: ora frequenter, obſecra Deum aſſiduè, ut gratiam tempus, & occaſionem veræ ac prout oportet, pœnitentiæ, quantocyùs ſuppeditet; implora etiam ſanctorum, præſertim Beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis patrocinium; deteſtare peccata præterita; ſerva reliqua mandata, nec nova ſuperadde delicta &c. Quantùm viribûs naturæ, ſeu cùm generalibus Dei Donis vales. Et Deus elargietur tibi Gratiã ſupernam ad rectè pœnitendum, etiam congruam, & in talibus circumſtantiis, in quibus prævidit te cooperaturum. Non quaſi peccator Oratione ſua, aut naturali Præceptorũ obſervatione, mereri poſſit Gratiam Juſtificationis, aut Donum aliquod ſupernaturale; (quanquam Auguſtinus docet, Orationem, præſuppoſita Fide, eſſe meritum de congruo gratiæ) ſed hoc ſenſu: nimirum, quòd opera ejusmodi

modi præcisè se habeat per modum subordinationis, occasionis, & remotionis impedimenti resistentis aut etiam meræ deprecationis ac implorationis. Notandum autem hìc est, illa, quæ agenda, ut homo dicatur facere quod in se est, exempli gratiâ recensemus, in præsenti, non debere sumi mathematicè, quantùm, quomodo, quamdiu &c: Id enim scientiæ & determinationi Divinæ relinquendum: nobis incumbit operari quod humanô modô possumus:

23. *Tertiò*, Si egeris, quod in te est, videlicet præter dicta, etiam speciale aliquid in Dei Honorem, aut commune bonum spirituale, aut ex amore salutis Animarum: ec. Si zelum S. Fidei strenuè promoveas; si multum affectus sis beatissimæ Dei Genitrici Mariæ, ejusque Cultum ac Invocationem amplifices &c:&c: donabit quoque Deus, dum opus fuerit, gratiam specialem, aut cum excessu svavitatis, sive ad resurgendum alacriter ex habitu pravo, sive ad superanda æternæ damnationis pericula, sive denique ad cætera, quæ salutis sunt, perficienda.

24. *Quartò*, Tandem, si præsupposita Fide Catholica & Pœnitentiâ, permanseris in spe & Oratione; in Dei amore, detestatione peccatorum, atque virtutum studio; (interruptio autem si quando fiat, ex fragilitate magis quàm malitia contingat) in Zelo Fidei & Cultu B. Virginis &c: auxilium congruum perseverätiæ finalis in gratia Dei, & vitam æternam obtinebis.

Axioma hoc: Facienti quod in se est, Deus non denegat. Gratiam; ejusq; allatã expositionem subsistere,

25. *Demon-*

25. *Demonstratur 1.* Manifestô scripturæ exemplô Act. 10, de Cornelio Centurione, ad quem missus est Angelus a Deo, dicens v. 4. *Orationes tuæ & eleemosinæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei: & nunc mitte viros in Joppen, & accersi Simonem quendam, qui cognominantur Petrus hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Cornelius erat adhuc Gentilis, carens Fide in Christum, sine qua, Evangeliô protunc jam divulgatô, Justificationis Gratiam adipisci non poterat, præsertim, cùm nec defuerit modus, per externam prædicationem in no titiam ejus deveniendi. Ac proinde dictæ actiones bonæ, orationes & eleemosynæ esse debebant opera naturalia: ut docet D. Thomas mox citandus, constatque ex dictis à num: 16. Infero. Ergo orationes & eleemosynæ intrinsecè naturales, & similia, ascendere possunt *in memoriam & conspectum Dei*, (ut disertè testatur scriptura) per ordinem ad conferendam gratiam Fidei aut pœnitentiæ. Non quasi talia Deum moveant, aut impetrent ab eo per modum meriti gratiam supernaturalem; sed quòd se habeant instar remotionis impedimenti, subordinationis, humilisque supplicationis: qua præsupposita, Deus ex misericordia ac liberalitate sua infinita, largitur homini ad salutem necessaria.

26. *Demonstratur 2.* Innumeris in locis hortatur scriptura omnes etiam peccatores, ut orent & Dei implorent auxilium, mandata ejus custodiant, nec peccata multiplicent: (*Non adjicias peccatum super peccatum. Eccles. 5. v. 4.*) ne aliàs se misericordiâ, indignos, efficiant. Ergo censet,

opera

opera ejusmodi, quæ in peccatore sunt naturalia, posse se habere per modum implorationis, occasionis, ac non repugnantiæ respectu Gratiarum Divinarum. Ex eodem sacro Codice patet (ut videre est num. 3.) Deum sincerè velle quantum de se, omnes homines, modò faciant facienda, salvare. Ast si merè pro placito, non attendendo ad ea, quæ homines viribûs naturæ rectè operantur, his, qui fecerunt quod in se est, talia ex industria seligeret auxilia superna, quibus prævidet non consensuros; aliis verò, qui nec hoc fecerunt, auxilia habitura consensum, tunc profectò dici non posset, sincerè omnes velle salvos facere. Nec illud Isa. 5. *Quid ultra facere debui vineæ meæ, & non feci?* verificaretur sufficienter. Respondere enim posset quispiam: fecisses Domine ampliùs, si te communem Patrem exhibuisses: En! aliis dedisti gratias supernaturales & quidem in iis circumstantiis, in quibus prævisi sunt cooperaturi, tametsi non fecerint, quantùm ex se poterant; mihi verò facienti quod in me erat, ejusmodi auxilia denegâsti. Tandem nemo dubitat, Axioma hoc: *Deus neminem deserit, nisi priùs deseratur ab eo*, sacris Literis infundari. Sed quem quæso sensum habet? certè non ideo præcisè Deus peccatorem deserit, negando eidem gratias efficaces, quòd in peccatum aliquod labatur: aliàs enim nullus peccator resurgeret efficaciter; constat autem haud paucos, maximos licèt peccatores resipuisse. Ergo hunc solùm deserit, privando auxiliîs congruîs, qui non facit quod in se est. Quomodo

Apostolus dixisset, Rom: 1. v. 19. Gentiles esse inexcusabiles, quòd Deum ex rebus conditis agnoscentes, non sicut Deum glorificaverint, si cognitiones hujusmodi naturales, & quidquid naturæ viribus fit, prorsus impertinenter se habet ad veram Dei glorificationem?

27. *Demonstratur* 3. Deum, juxta præfatam expositionem non negare gratiam facienti quod in se est, communis Ecclesiæ sensus comprobat. Sicut enim ipsa orat pro peccatoribus, ita & eosdem ad orandum stimulat, ut sibi Deus gratias primas, gratiam veræ Pœnitentiæ (idem censendum de dono finalis perseverantiæ, aliisque) certè efficacem, sufficiens enim absque hoc omnibus conceditur, misericorditer largiatur. Monet præterea peccatores etiam quamdiu manent in peccato, ut reliqua servent Mandata, non accumulent delicta, ne fortè indigni reddantur Gratiâ. Ergo supponit, prædictas gratias facienti quod in se est concedendas.

28. *Demonstratur* 4. Hæc est universi Populi Christiani à teneris concepta & instillata, proculdubio à Deo, persvasio. Nam si vel rudissimus interrogetur: Quid facies, quo casu non dederit tibi Deus gratiam supernaturalem aut congruam, aut specialem ad superandas in via salutis difficultates, eaque omnia agenda, quæ ad Vitam æternam sunt necessaria? Respondebit: ego assiduè orabo Deum, ego faciam quantum possum; & tam bonus, tam misericors Dominus non deerit mihi. Axioma igitur hoc, Dogma est.

29. *Demonstratur* 5. Deus noster benignissimus com-

communis est omnium Pater, nec respicit Personas, nec despoticum sed svave in nos exercet Imperium: ut docet scriptura. At si nullam actionem aut occasionem à creaturis datam spectaret, & huic, quamvis facienti quod in se est, negaret, auxilium supernaturale aut efficax, illi verò tametsi nequidem fuisset, quod viribûs naturæ poterat, concederet in ordine ad Pœnitentiam aut perseverantiam finalem: tunc non exhiberet se communem Patrem; respiceret non occasionem ab hominibus datam, sed Personas; exerceret imperium exoticum, quale nequidem in terrenis Principibus approbamus, videlicet in hoc consistens: Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas. Porrò id Deo nostrò appingi nequit sine blasphemia, Ergo &c.

30. *Demonstratur* 6. Præsens Dei circà nos Providentia svavis est, qua omnes ad virtutis studium & seriam salutis curam vult excitare, á licentiosa vita & desperabundis consiliis arcere; nec ullam contra se querendi rationem suggerere. Ast si memoratum axioma ejusque explicatio non subsisteret, seu si Deus prò libito, nec occasione ex hominibus habita, uni vellet, alteri nollet gratiam largiri efficacem, nemo ad virtutis & salutis studium excitaretur: quin imò in licentiosissimam desperationis resolutionem præcipitarentur universi. Sic enim quivis disserere posset: Vel daturus mihi est Deus auxilium supernaturale, & quidem efficax (quomodocunque efficacia hæc explicetur) sive ad pœnitentiam veram, sive ad finalem perseverantiam; vel non datu-

 rus

rus? vel concessurus tempus pænitendi, vel non? &c: &c: Si daturus, agam igitur interea quidquid libet: Nam si Deus gratias hujusmodi donat pro placito, non respiciendo, sive egerit homo quod in se est, sive non, nihil mihi oberit aut proderit, quidquid egero. Si verò non daturus, Ergo multò minùs valebit, quidquid boni viribus meis operatus fuero.

31. Credibilenè est, Christum salvatorem nostrum, qui ideo in hunc mundum venit, ut nos per veram Fidem & bonorū Operum exercitium ad salutem perduceret, homines in bivio tam pernicioso, in hoc licentiæ ac desperationis Labyrintho constituere atque relinquere voluisse? Verbô: propositæ veritati sub fucata promovendæ gratiæ specie refragari pervicaciter, est peccatoribus rationes querendi contra Deum (ut videre est num. 26.) suggerere; fræna peccatis laxare; Religionis, virtutis, & boni omnis studium, totamque salutis curam subvertere. Sed hæc inconvenientia non admittimus, reponunt Adversarii. Bene est: igitur nec Antecedens, oppositam videlicet doctrinam, unde sequentur talia, admitte. In jure enim tam civili quàm Ecclesiastico l. *Quàmvis*, habetur: *Antecedens trahit ad se consequens.*

32. *Demonstratur 7.* Ejusdem nobiscum sensûs est Augustinùs, qui l. 1. ad Simplicianum q. 1. sic loquitur: *Eorum non miseretur Deus, quibus gratiam non esse præbendam, æquitate occultissima & ab humanis sensibus remotissima, judicat; quam non aperit, sed admiratur Apostolus dicens: O altitudo divitiarum!* Et in

Enchir.

Enchir. c. 94. affirmat, manifeſtas nobis fore in die judicii rationes ejusmodi, cur ille potiùs quám iſte fuerit aſſumptus: & cur apud quosdam non factæ ſint virtutes, quæ ſi factæ fuiſſent, egiſſent homines illi pœnitentiam. Verbô, Auguſtinus docet, juſtiſſimas Deum habere rationes ob quas huic dederit aut daturus ſit gratias efficaces in ordine ad conſequendam ſalutem; alteri non: & quidem tenentes ſe ex parte hominum, quòd videlicet & quomodo, hic fecerit quantùm ex ſe erat, ille non. Et quoniam id ipsū nos latet, abſconditumque eſt coram oculis noſtris, cor hominis: ita, ut perſæpè illum, quē Deus amat, hoſtem ejus, vel è converſo, arbitremur; hinc præfatæ rationes Divinæ, Abyſſus judiciorum Divinorū cummuniter nuncupantur.

33. Nequaquam tamen cenſendum eſt, rationes Dei, ob quas huic potiùs confert gratiam efficacem aut ſpecialem, quàm alteri, conſiſtere in mero placito Divino: quomodo enim dicerentur abyſſus, cùm nihil ſit minùs imperceptibile, quàm dicere, huic volo, huic nolo? Aut tenere ſe præcisè ex parte Dei, ſine ulla occaſione ex creaturis habita: Nam rationes ejusmodi pariter in ſolum placitum, nimirùm, quòd Deus in hoc homine demonſtrare velit juſtitiam ſuam, in altero verò miſericordiam reſolvuntur, nosque præterea in dictis ſuperiùs deſperationis anguſtiis, in abjectione animi, & excuſſione omnis curæ ſalutis relinquunt. Quàmvis enim rationes, quòd huic potiùs benefaciat, quàm alteri, infinitas haberet Deus, ſi tamen hæ nullatenus opera

nostra respicerent quis virtutes sectari,& vitam æternam sollicitè exquirere vellet?

34. *Demonstratur* 8. Authoritate Doctoris Angelici, qui q. 14. de veritate a. 11. ad 1. ajt: *Si aliquis nutritus in sylvis, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni & fuga mali: certissimè tenendum est, quòd ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt credenda, vel aliquem Fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Nec unquam postea D. Thomas contrarium docuit. Porro Doctrina hæc nihil aliud vult, nisi certissimé tenendum esse, quòd Deus facienti quod in se est, seu quantùm viribûs naturæ potest, non deroget gratiam supernaturalem, etiam efficacem, imò specialem.

35. *Demonstratur* 9. communi Theologorum Scholasticorum sensu. Leonardus Lessius Soc. JESU, unus de præcipua Facultatis Theologicæ Classe, in sua Disputatione Apologetica de gratia c. 10. jam ante 100. annos edita, amplissimè probat, sententiam hanc ab omnibus Scholasticis, paucîs exceptîs, à 500. & amplius annis manifestè doceri. Exem. causâ. Gvilielmus Altisiodorensis l. 3. summæ Tract. 2. q. 5. sic loquitur: *Deus ei, qui facit quidquid in se est, semper dat gratiam.* Et Alexander Halensis p. 3. q. 69. m 5. a. 3. *Concedendum igitur, quòd, si homo faciat quod in se est, Deus dat ei gratiam immutabiliter.* Et subjungit: *Videndum quidem, quid sit facere quod in se est? Notandum, quòd in quovis homine per naturam est recta ratio: & hæc rectitudo boni est notio indita à creatione, qua quælibet Anima potest cognoscere suum principium scilicet Deum &c: Si ergo*

ergo secundùm istam notionem operetur homo suô arbitriô, recurrendo ad illum, quem scit suum esse principium, & quem scit esse ordinandum sibi, & petat ab illo lumen cognitionis Fidei & boni, dabitur ei. Eodem modo Sotus in 4. d. 1. q. 2. a. 3. *Servanti jus naturæ Deus singulari auxilio affulsisset.* Et Ruardus a. 7. pag. 348. *Quòd Deus adest etiam facienti quod in se est ex puris naturalibus, ad illustrationem & instinctus Divinos, ad quos donandos, ex immensa erga peccatores charitate invitatur, non autem ex ullo merito vel dignitate, piè creditur.* Similiter Andreas Vega l. 13. In Conc. Triden. c. 12. sicut & Driedo de Concordia liberi arbitrii pag. 51. docet, *Id piè credi, nec in eo errari.*

36. Idem disertè tradit celeberrimus ille Doctor, Molina in concordia q. 14. a. 13. Disp. 10. *Quoties liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, quantùm potest circa res Fidei addiscendas & amplectendas; vel circa dolorem de peccatis ac justificationem, à Deo confertur gratia præveniens seu auxilium, quòd id faciat, ut oportet ad salutem.* Et addit Lessius Disp. Apolog. de Gratia c. 10. pag. 313. *Liberum arbitrium secundùm se posse conari etiam circa supernaturalia, licèt actu imperfecto & insufficienti: posseque hominem viribûs naturæ etiam ardenter appetere aliquod supernaturale,* Richardus verò in 2. dist. 28. a. 1. q. 2. plus quàm nos viribûs naturæ tribuit, inquiens: *Loquendo de remota dispositione, liberum arbitrium per sua naturalia cum sola generali motione primi moventis, (quam supponit quævis actio creaturæ) potest se ad gratiam facientem disponere. Quia hoc modo qui liberô arbitriô rectè utitur, quantùm potest, disponit se ad Gratiam gratum facientem.* En! opera

bona naturalia solùm se habere respectu Gratiæ supernaturalis per modum subordinationis eidem gratiæ, remotionis impedimenti, occasionis, implorationis, volumus. Ast Richardus etiam dispositionem remotam appellat.

37 *Demonstratur* 10 Præsentis axiomatis veritas vel ipsâ comprobatur experientiâ in tot Prodigiis ab Ecclesia approbatis. Scimus enim, tot sceleratissimos peccatores, eò quod singularem devotionem ad Beatissimam Dei Genitricem habuerint, vel aliud quid speciale, quantùm viribûs naturæ valebant, in vita sua egerint, ad intercessionem ejusdem Divæ Virginis, admirabili modo, auxilium efficax ad veram Pœnitentiam ac perseverantiam finalem, adeptos fuisse. Ergo &c.

38. Jam in Sinopsim, quæ dicta sunt, compingamus. Siquidem ergo certum & indubitatum est, Deum non merè pro libito, sed occasione ex hominibus habita, seu facienti quod in se est, præbere Gratias supernaturales etiam efficaces ac prævisas habituras consensum, imò & speciales, (juxta explicationem superiùs datam) sive ad Fidem & agnitionem veritatis, sive ad veram pœnitentiam aut perseverantiam finalem, & consequenter vitam æternam: Hinc minimè poteris licentiosè aut desperabundè percontari, vel daturus mihi Deus gratiam talem, vel non? Sed implorató Divinô auxilio, in spe & fiducia, fac quæ potes: Veritatem Fidei Catholicæ; si nondum es assecutus, inquire diligenter; si verò es, sed peccâsti, detestare peccata, pœnitentiam

age

age quantocyùs, exerce te in bonis operibus, ora inſtanter, Beatiſſimæ quoque Virginis patrocinium ſollicitè implora: reliqueum autem Deo committe, qui, cùm ſummè bonus & miſericors ſit, nec velit mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat, dabit omnia ad ſalutem neceſſaria.

29. Minimè verò apprehendendum, quòd reperiantur Doctores alioqui graves, qui memoratum axioma cum expoſitione ſua, viſi ſunt rejeciſſe. Hi enim explicari poſſunt; vel ſi nequeunt, dolendum, viros etiam doctos, in re tam evidenti deficere potuiſſe, èo, quòd ab uno errore, ſemipelagianorum videlicet, cui alter & quidem adhuc multò pernicioſior, nimirum Calvinismus & Janſeniſmus, è diametro opponitur, nimis remotè deflectere voluerint.

OPPONUNT ADVERSARII.

40 *Primò;* Sine ſuperna Dei Gratia, homo nec orare, nec auxilium Divinum implorare, nec veritatem aliquam Fidei cognoſcere, nec Deum diligere, aut pœnitere, aut quidpiam boni agere poteſt: Ergo nec facere quod in ſe eſt. Conſequenter idem manebit dubium, quarenam Deus huic det gratiam, ut faciat quod in ſe eſt, alteri verò non? Reſpondeo: miſces quadrata rotundis, nec gratiæ vocabulô ritè uteris, & ideo dubitas. Diſtingvenda igitur prima eſt aſſertio. Sine ſuperna ſeu ſupernaturali intrinſecè gratia nequit homo orare, cognoſcere, diligere aut quidpiam boni agere *ſicut oportet ad ſalutem*, concedo; absque hoc addito nego. Et ideo Concilium Tridentinum, non eos damnat, qui

asserunt, ejusmodi opera fieri posse naturaliter & imperfectè, insufficienter; sed eos qui volunt, supernaturaliter fieri posse, & sicut oportet, inquiens Ses. 6. can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs S. Inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse sicut oportet, ut ei Justificationis Gratia conferatur, anathema sit.* Ex quo additamento colligitur, hominem solîs naturæ viribûs multa bona operari posse, sed non sicut oportet, nec merendo Gratiã Justificationis supernaturalẽ; hanc enim Deus gratis ex misericordia sua largitur, non quidem merè pro libito, verùm facienti quod in se est.

41. Et certè, si homines auditîs hæresibûs, tametsi absurdissimîs, & exigua ad speciem probabilitate mixtîs, possunt eas velle perpendere, examinare, ac credere: cur audita prædicatione Evangelica, cum summa probabilitate imò evidentia proposita, non possunt solîs naturæ viribûs decernere apud se, illam expendere, & ubi id fecerint, etiam Fide quadam humana credere? si proposita per Alcoranum falsa beatitudine, homines possunt illam naturalitar optare & à Deo petere; cur veram beatitudinem sibi propositam, illamque habitationẽ cœlestem, viribûs naturæ, petere & desiderare nequeunt? Nisi dicas cum Jansenio, hæretico, naturam adeo corruptam esse, ut nonnisi ad malum valeat. Verbô, si potest quis naturæ viribûs appetere salutem æternam, & Dona supernaturalia, imò & conari circa veram Fidem consequendam, (ut docet Lessius de Gratia c. 10.) multò magis valebit

lebit alia bona opera elicere. Quod autem dicitur, etiam vires naturæ esse Dei gratias, adeoque hominem operari bene quantum in se est, seu naturaliter potest, esse operari ex Gratia, jam superiùs num. 14. declarando solvimus. Tales enim gratiæ naturales & generales dantur promiscuè hominibus, servato cursu, ordine, ac exigentia causarum creatarum. Et his suppositis, Res tota in præsenti est: de Gratiis Dei supernaturalibus, in ordine ad operari sicut oportet ad salutem.

42. *Secundò* : Recedendum est quàm longissimè à Pelagii (qui tollebat gratias supernaturales) & semipelagianorum, (qui initium salutis volebant esse ex nobis) erroribus. Ergo memoratum Axioma cum sua explicatione nequit subsistere. Respondeo ; Nego consequentiam tanquam manifestè nullam. Ne verò quis, volendo unum declinare errorem, incidat in alterum, sciendum est, in quonam præfati hæretici erraverint. Pelagius tollebat gratias internas supernaturales, docens, hominem solis naturæ viribus operari posse sicut oportet ad salutem. Massilienses autem semipelagiani dicti, asserebant, liberum arbitrium, solîs viribûs suîs in creatione acceptîs posse quodvis opus bonum supernaturale inchoare, & per hoc mereri gratias ulteriores: Ponebantque, initium salutis ex nobis, gratiam verò esse pedissequam, hoc sensu, quòd possimus sine superno Gratiæ Dei auxilio mereri Donum Fidei, vel si illud jam possidemus, serium salutis concipere desiderium, quo gratiam Justificationis meritoriè impetremus. Porro id nequaquam adstrui-

adstruimus, sed tenemus; opera viribûs naturæ elicita, solùm se habere instar subordinationis Divino auxilio, occasionis, ac remotionis impedimenti, respectu Gratiæ sive Fidei sive justificationis &c. Ergo totô Cœlô ab illis differimus.

43. Qui verò ampliùs à semipelagianis differre cupit, nimis libero arbitrio detrahendo, is sensim ad Jansenii aut Calvini errorem millies perniciosiorem, utpote omnis disciplinæ Christianæ adeoque & Fidei totius subversivũ deflectit. Quis enim Fidẽ verã aut Pietatẽ coleret? imò, utquid Christus Magister & exemplar morum in hunc Mundum venisset, si Deus merè pro libito, non considerando quidquid homo egerit, huic daret, alteri negaret media ad salutẽ necessaria? Nonne bene Augustinus: *Vos estis morum ruina, qui ipsius Fidei, supra quam mores ædificandi sunt, nitimini fundamenta subvertere?*

44. *Tertiò*: Deus, infantes post Baptisimũ, quo Christi Merita applicantur iisdẽ, decedentes, in Gloriã æternã recipit, tametsi nec fecerint, nec facere potuerint quantũ in se est. Alios verò Baptismô destitutos excludit á Gloria, quamvis ad id nullam ex se occasionem dederint. Ergo & de adultis idẽ censeri posset. Respondeo, Nego consequentiã, & disparitatẽ exhibeo manifestã: nimirũ quòd inconvenientia superiùs allegata, non sequantur ex hoc cum parvulis procedendi modo, quæ sequerentur in simili cum adultis: Et sic:

45. 1. Ex hoc, quòd parvuli ejusmodi absque propria culpa actuali, aut occasione à se data,

ta, gloriâ priventur æternâ, non sequitut Deum esse justũ aut crudelẽ: *Tum quia* non destinantur ad inferni tormenta: è contra quotquot adulti in hac Providentia excluduntur à Gloria, ordinariè æternis quoque suppliciis addicuntur. Porro memoratos infantes, cruciatibus perpetuis sive in anima sive in corpore non esse admovendos, docent, quotquot Deum crudelẽ aut injustũ facere verentur. Qui verò Doctores oppositũ adstruere videntur, omnino censendi sunt loqui (quibûscunque, demũ terminis utentur) de sola privatione Gloriæ cœlestis seu pœna damni: vel si nonnulli sic explicari nequeunt, concludendũ, eos non satìs piè de Deo nostro misericordissimo sensisse. Quin imò haud pauci existimant, parvulos ejusmodi etiam beatitudinẽ quandam naturalẽ habituros: (qualẽ habuissent cuncti homines secundùm rectam rationem viventes, si Deus nos ad Finem supernaturalem non elevasset.) Nec gravem valde dolorem ex carentia Gloriæ cœlestis concepturos *Tum quia* beatitudo æterna nulli est debita creaturæ, sed ex mera Dei largientis Gratia conceditur. Igitur præcisè negare eam quibusdam, non est injustitiam aut crudelitatem exercere. Ac proinde etiam si Deus gloriam hanc omnibus etiam piissimè viventibus denegare statuisset, nemo justè conqueri potuisset: cùm Donum hoc cunctas longè excedat creaturas.

46. 2. Non sequitur prædictæ superiùs desperationis, aut vitæ licentiosæ, aut abjectionis animi circa studium virtutum & salutis curam, occasio-

caſionem dari parvulis: cùm hi ſicut usûs rationis ita & actionum liberarum nondum ſint capaces.

47. 3. Nec ſequitur, Deum non exhibere ſe comunē Patrē, aut reſpicere perſonas, aut exoticum exercere Imperium &c: Non enim voluntate beneplaciti, poſitivè ac directè ſtatuit, ut hi infantes excludantur à medio ſalutis, nimirùm Baptiſmo, & conſequentur à Gloria; illi verò admittantur. Sed habet ſe negativè tantùm ac permiſſivè, accomodando ſe juxta Decretum ſuum generale & ordinarium, tum exigentiis cauſarum creatarum & curſui naturæ, tum libertati hominum, ſub quorum cura & poteſtate ſunt parvuli. Et ideo, quotiescunque ſine Baptiſmo pereunt, id non Deo, ſed vel negligentiæ aut malitiæ hominū, vel aliis cauſis creatis adſcribendum.

PRINCIPIUM SECUNDUM.

48 *Vel Deus ab æterno prævidit finalem Pœnitentiam meam futuram, vel non prævidit? Si prævidit! igitur hæc ſequi debet infallibiliter, ne aliàs falſificetur Scientia Dei: Si verò non prævidit, ergo nec futura: conſequenter in caſſum fient omnia, quæcunque interim egero.*

49. Reſpondeo: perverſum Dilema hoc in idem coincidit cum primo, ac proinde iisdē rationibus, quibus & illud, convellendum eſt. Si enim Pœnitentiam finalem liberè egeris, quæ in plena eſt Poteſtate tua, Deus prævidit eā ab æterno; Si verò agere nolueris, nec Deus prævidit. Dabit quoque gratiam ſupernaturalem, ut pœnitentiam agere valeas ſicut oportet ad ſalutē,

tē, imò & efficacē atque in talibus circumstantiis, in quibus prævisus es cooperaturus, si feceris quod in te est, juxta dicta à num. 21. Ineptissima autē est sequela hæc: *Si Deus prævidit pænitentiam meam, hæc sequi debebit; si non prævidit, nec sequetur.* Sicut ineptiret qui diceret: ex visione actuali, qua me homines vident de præsenti confitentē peccata, sequi debet Confessio mea. Negandū igitur suppositū, quòd Præscientia Divina sit causa aut Conditio unde sequatur futura Pœnitentia tua, vel quod te ad eandem necessitat: & sic totum dissolvitur principiū.

50. Quod ipsum declaro adhuc luculentiùs. Non ideo actio tua ponenda est, quia Deus prævidit eam ab æterno: sicut nec ideo actu ponitur à te, quia Deus eam actu videt poni de præsenti; aut quia Angelus videt eam; aut quia tu ipse vides; sed potiùs è converso, ideo Deus prævidit, quia à te liberè ponenda est: sicut & ideo videt actu de præsenti hanc vel illam operationē tuā sive Deus, sive Angelus, sive tu ipse, quia ponis eā pro libertate tua. Si enim nō poneres, sed omitteres, Deus eā sicut non videret, ita nec prævidisset. Nec dixeris: si Deus prævidit ab æterno cooperationē meā Gratiæ suæ, ego cogar eā ponere, ne aliàs falsificetur Præscientia. Sicut enim per hoc, quòd Deus actu videat aliquā actionē tuā quā, hic & nunc ponis, non cogeris ad eā; neque per hoc, quòd Angeli, quòd homines te intueantur agentē, tuque ipse actionē tuā videas, ullatenus necessitaris, sed ponis eam liberè; tametsi visiones ac cognitiones ejusmodi, habitis omnibus

mnibûs requisitîs, physicè sint infallibiles: ita nec per hoc quòd Deus præviderit. Et ratio est: siquidem non hac de causa ponis actionem, quoniam hæc videtur aut prævidebatur ab Angelis, ab hominibus, à te ipso, & à Deo: sed potiùs quia ponis, ideo videtur & prævisa est: Si enim non poneres, nec videretur.

51. Res pateat in exemplo. Age, quod vis ante speculum, & actiones tuæ relucebunt in eo necessariò: non tamen te cogit speculum ad actiones hujusmodi, sed agis liberimè. Sic Oculus Divinus habet se instar speculi summè infallibilis, repræsentat omnes actiones naturas liberas, futuras, præsentes, & præteritas. Nec per id libertas nostra læditur: si enim ex arbitrio nostro non essent futuræ, præsentes, & præteritæ, neque repræsentarentur ut tales in Deo, sed potiùs non futuræ, non præsentes, non præteritæ.

PRINCIPIUM TERTIUM.

52. *Quorum tot curæ circa veritatem Religionis indagandam, aut Pænitentiæ, aliarum Virtutum opera promovenda? Vel enim ex æterna & efficaci Dei voluntate salvandus sum, vel non sum? Si sum salvandus, dabuntur proculdubio media, tempus & occasio præstandi ea, quæ præstanda sunt: Cura hæc non ad me, sed ad Dei Providentiã, ne aliàs frustretur voluntas ejus, pertinet. Si verò non sum salvandus, inutilis prorsus est solicitudo mea.*

53. Respondeo, totum hoc in solutione prioris Principii jam enervatum esse. Nam si egeris agenda sicut oportet, proculdubio salvaberis: ut autem sic agere valeas, dabuntur tibi auxilia à Deo etiam efficacia, modò facias quod in te est, juxta

dicta

dicta superiùs. Placet tamen, quædam adhuc superaddere. Pro re indubitata habeas, Neminem ex adultis æterna & efficaci Dei voluntate fore salvandum, nisi qui credit ac facit ea, quæ credenda sunt. Scriptum est enim: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Marci 16. v. Et: *Si vis ad Vitam ingredi, serva Mandata.* Mat. 19. v. 17. Et: *Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem Judicii.* Joan. 5. v. 29. Et; *Venite Benedicti Patris mei, possidete Regnum: esurivi enim & dedistis mihi manducare; sitivi & dedistis mihi bibere; nudus fui, & cooperuistis me &c:* Mat. 25 v. 24. Hîs præsuppositîs.

54. Nullitatem præfati Dilemmatis indigito. *Si salvandus sum, dabuntur media, tempus, & occasio, ad præstanda ea, quæ præstari debent: cura hæc Dei est, non mea &c:* Inepta prorsus est sequela, & similis huic: *Si fuero Romæ, iter Romam versùs suscipiam.* Negatur suppositum, quòd esse Romæ sit conditio prærequisita ad suscipiendum iter Romam versùs: & non potiùs è contra: ac proinde sic discurrendum esset: *Si iter Romam ducens suscepero, Deo dante ero Romæ.* Ita pariter negandum suppositum, quòd salus aut salvatio tua futura, sit conditio in ordine ad hoc, ut habeas tempus & occasionem benè operandi, ipsaque media ad salutem. Potiùs è converso hæc sunt conditio ut salvandus sis & salveris. Et ideo prudenter loquendo sic disserendum est: Si tempus & occasionem rectè credendi, ac benè operandi, quod salutem præcedere debet velut medium ad eam, non neglexero, salvandus sum: Non autem ita ineptè: Si salvan-

 dus

dus sum operabor benè, aut dabitur occasio &c: Impium quoque est, quod subjunxisti: *Cura hæc non ad me sed ad Dei providentiã, ne aliàs frustretur voluntas ejus, pertinet.* Nonnè reliquit te Deus in manu Consilii tui? nonnè liberum tibi est operari vel non operari? Si operaris sicut oportet, salvaberis, nec voluntas Dei de te salvando frustrabitur; sin verò non operaris, damnaberis, nec frustrabitur Dei voluntas de te damnando. Igitur cura eorum quæ credenda & facienda sunt, ad te pertinet.

55. Dices: ex his duobus unum necessariò est determinatè verùm: nimirùm quòd sim vel salvandus vel damnandus in æternum. Cùm itaque nesciam, quid de me statutum ac futurum sit, cogor anxius hærere. Respondeo, benè dixisti: Nemo enim certò *scit, utrum odió an amore dignus sit.* Eccles. 9. v. 1. Hinc Apostolus: *Itaque cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Phil. 2. v. 12. Quid inde sequitur? Ergo fac quæ potes, pœnitentiam age, serva Mandata, exerce te in bonis operibus: & spem firmam, te fore salvandum, meritò concipere poteris. Nam iis, qui talia agunt, appromissa est salus.

56. Verbô, salvandus es & salvaberis infallibiliter, si in Fide Catholica ea feceris ad quæ obligaris: facies autem usque in finem, si voles: id siquidem in tua est libertate; cùm & Gloria Dei tibi præsto sit, etiam efficax, etiam specialis, modò facias quantùm potes, & quod in te est. Audi S. Augustinum nullibi clariùs quàm lib. 1. ad Simplicianum q. 2. hac de re disserentem: *Multi vocati,*

pauci

pauci electi: illi enim electi qui congruenter vocati; illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quàmvis vocati.

PRINCIPIUM QUARTUM.

57. *Theologi nostri Scholastici mira & imperceptibilia loquuntur: longè aliter se res ibi habet: experiemur postea totô cælô diversa. Prorsus inutiles sunt subtilitates de quibus tractant: Deus ridet speculationes eorum &c.* Vide hìc calumnias hæreticorum: Ita Theo: Scho: apud P. Gengel.

58. Respondeo, Propositionem hanc esse hæreticam, impiam, temerariam, & prorsùs fatuam. *Hæretica* quidem est eatenùs, quatenùs nihil usitatiùs hæresi, quàm Theologiam Scholasticam detestari, & si possibile esset, ex omnium animis proscribere velle. Quod enim homines isti timent, id execrantur; quod ignorant, blasphemant. Experientiâ profectò compertum est, in quantas angustias argumentîs Theologicîs redigantur: quodve, Divina sic ordinante Providentia, tametsi in profanis scientiis versati, ad sublimitatem nihilominùs Theologiæ Scholasticæ, nequaquam valeant eluctari. Ac proinde luporum dolosè svadentium ovibus, ut, si pacem servare vellent, latrantium à se molossorum contuberniũ arcerent, imitantur ingenium.

59. *Impia* est: cum scientiam hanc, inutilem, vanam, & risu dignam speculationem proclamet, de qua ex mente totiùs Ecclesiæ testatur Augustinus lib. 14. de Trinit. c. 1. *Est scientia, qua Fides saluberrima gignitur, defenditur, roboratur. Quâ scientiâ non pollent Fideles plurimi, quàmvis polleant ipsa Fide*

 pluri-

plurimùm: aliud est enim scire tantummodò, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ nonnisi æterna est; aliud autem scire, quemadmodum id ipsum & piis opituletur, & contra impios defendatur.

60. *Temeraria.* quoniam absque ullo fundamento, hoc imprudenter rejicit, quod omnes docti summoperè approbant. Hanc spernit scientiam, quâ toties usus est salvator noster adversùm Pharisæos & Saducæos, ut mox videbimus: quam, veluti scutum inexpugnabile & gladium ex utraque parte acutum, Ecclesiæ suæ contra adversarios, reliquit dicens: *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri. Luc. 21.* Quâ Paulus disputans confutabat Judæos & Gentiles: Quâ omnes hæreses debellârunt SS. Patres.

61. *Fatua* denique est: non solùm quòd omnium Doctorum sensui refragetur, verùm etiam quoniam *hæc blasphemat, quæ ignorat.* ut inquit Apostolus Jud. v. 10. Debacchantur homines ejusmodi contra facultates scholasticas, tametsi nec intelligant, nec percipiant, quidnam re vera tractet, quid doceat, quid defendat, aut quò collimet Theologia. Et ideo hæreticorum castra sequentes, in illam vulpis fabulam abeunt, spernentis ut acerbas uvas, quas nancisci non valebat. O utinã! sapientuli hujus mundi de fastu remittere, suumque Judicium sapientioribus submittere non detractarent, sanjùs profectò de Divina scientia hac, *Quæ Filiis suis vitam inspirat, & suspicit inquirentes se, & præibit in via justitiæ, & qui illam diligit, diligit vitam. Eccl. 4. v. 12.* sentirent.

62. Aſt diſcutiamus ſingulas impudentis principii partes. Theologos Schalaſticos impercepţibilia, & ſpeculationes prorſùs inutiles ac ridendas docere affirmas! Quid, quæſo, docent? audi, ut diſcas rectiùs ſapere. Duplex tractandorum genus eſt, circa quæ veluti duos cardines, curſus volvitur Theologicus. *Primò*, quæcunquè credenda & facienda ſunt, ut homo ſalvus fiat, declarant, explanant, & confutatîs Adverſariorum obtruſionibûs, ſtrenuè defendunt Theologi. Seholaſticorum enim eſt, univerſalia principia & fundamenta, ſacrîs Literîs, Conciliorum definitionibûs, nec non rationibûs intellectum convincentibûs, firmare ac ſtabilire, quibus univerſa Theologia poſitiva, Polemica, & moralis nitatur. Ne verò hæc in confuſo duntaxat mirari magìs quàm intueri cenſearis, relege tum hactenùs dicta adverſus priora principia, tum nupernum Tractatum contra Syncretiſtas, *Miphiboſeth ſpiritualis* nuncupatum, & notabilem Theologiæ Scholaſticæ partem deprehendes. Hæcne imperceptibilia prorſùs, aut inutilia. aut riſu digna ſunt?

63. *Secundò*, plurimas quoque profundiores Quæſtiones movere, ac Diſputationes ultra ea, quæ explicitè revelata aut præcepta ſunt, inſtituere, ſubjiciendo tamen in omnibus judicium ſuum definitioni Eccleſiæ, conſveverunt Scholaſtici. Porro hæc, multiplicem, eumque ſanctum & honeſtiſſimum finem habent. *1.* Ut dignitatem ac Excellentiam Dei, quantùm per ſpecies abſtractivas licèt, magís cognoſcant, & conſeqnenter ferventiùs diligant, aliisq; magnalia Dei deprædicent.

 Nonnè

Nonne id, quædam æternæ Beatitudinis particella eſt? 2. Ut Dei dona & eximia ejus beneficia hominibus præſtita penitiùs intellìgant, ideoque magis appretient, & quod inde ſequitur, ad ipſum Datorem munerum laudandum, inflammentur efficaciùs. 3. Ut plures, de ultimo Fine noſtro, & mediis ad eundem conſequendum, veritates, (quas rudiores in confuſo ſolùm ac implicitè, e.c. profitendo in communi quidquid docet Eccleſia, credunt) valeant quoque explicitè ſicut cognoſcere, ita & credere: Et conſequenter, (ſi cætera præſtanda adfuerint) ad clariorem viſionem & majorem in Cœlis gloriam, tam ipſi pervenire, quam alios erudiendo, ſecum pertrahere. Hocnè vanum & inutile?

64. 4. Ut naturæ, qualitates, proprietates, diviſiones gratiarum, ac virtutum, Fidei, Spei, Charitatis, Religionis, Gratitudinis, Juſtitiæ, Miſericordiæ &c &c. intimiùs penetrentur, ac proinde tam ipſi quàm alii per eos, ad virtutis ſtudium, validiùs pertrahantur. Exem: cau. in Scriptura dicuntur beati mites, beati miſericordes, beati mundô corde, pauperes Spiritu, patientes, juſti &c. Aſt hi ſunt termini univerſales: ut igitur practicè ſciant homines ejusmodi virtutibûs ſe exercere, explicandum eſt, in quonam conſiſtat, quid ſit e. c. Miſericordia, Patientia, Juſtitia &c. quæ earum partes, requiſita, ſpecies, gradus, proprietates, contrapoſita &c Id faciunt Theologi Scholaſtici. Hocnè riſu dignum? 5. Ut Ingenia ſublimioribûs expolita ſpeculationibûs, valeant in rebus planis & materiis obviis, rectas illationes, veri-

tatis

tatis demonstrationes, Adversariorum repressio-
nes, facillimè instituere. Certè experientiâ con-
stat, illos, qui scientias speculativas abjiciunt, vix
quando in materia Fidei & Virtutum, rectam con-
sequentiam ponere, seu unum ex alio ritè infer-
re. Qui autem hac in parte aliquid sapit, specu-
lativam saltem ex parte didicisse, (sive interim in
Scholis, sive ex Lectione Librorum, aut frequen-
ti cum Catholicorum Theologis conversatione)
debuerat.

65. Jam quisque lumine rectæ rationis præ-
ditus dijudicet: num honestior, aut utilior, ma-
gisque Creaturam rationalem decens, in hoc sæ-
culo cogitari possit Occupatio, quàm sit Theolo-
gia? Ac tandem concludat, homines, qui Divi-
nam scientiam hanc flocci faciunt & aversantur, (si
id reflexè agant) debere esse rerum Divinarū con-
temptores; aut nimìs immersos mundi hujus va-
nitatibus; aut hebetioris, studiisque altioribus mi-
nimè proportionati intellectûs; denique indi-
gnissimô quôdam superbiæ Spiritu inflatos, quòd
ea, quæ supra se sunt, & adorare deberent, teme-
rè despiciant.

66. Addo: Demus gratìs, nonnullas in Theo-
logia speculationes non ex alio fine, nisi honesti
discursûs gratiâ, aut propter ipsum scire, aut pa-
scendum intellectum, institui. Nonne id ipsum
apprimè decet Creaturam rationalem? Vita hu-
mana socialis discursiva & disputativa est, juxta il-
lud: *Dic etiam aliquid, ut videamur esse duo.* Jam quæ-
ro, de quibusnam rebus, viris in præeminantia a-
liqua constitutis differendum aut disputandum
est?

est? De aliorum moribus loqui, est obloqui: de promovenda œconomia vel augenda Fortuna tractare multum, parum, & persæpè infra eos est, dum supponuntur habere alios, qui curam istarum rerum gerant. De quo igitur cum vera mentis oblectatione discurrendum? Disputare de Natura universorum, de mirabilibus mundi & Cæli, de variis experientiis &c: & quidem ut per visibilia in cognitionem invisibilium & summi Authoris laudem pertrahamur, accessorium quoddam est ad Theologiam: & de his etiam Theologi, quatenùs simul sunt Philosophi, sermocinari consveverunt. Illi tamen qui magìs delectantur æternîs quàm temporalibûs, qui cum majori voluntate spiritum quàm corpus considerant, sublimiorem discursum, suæque distractionis prætendunt materiam. Nimirùm de supremi Numinis proprietatibus & attributis, de ejus Omnipotentiâ, Omniscientia, Misericordia ac Justitia, de æternitate & Gloria Cælesti, de Christo Salvatore, Angelis, & Sacramentis, de Divina Gratia & virtutibus &c: &c:

67. Sed quid utilitatis Discursus ejusmodi afferunt? percontatur quispiam. Respondeo, emolumentum spirituale à num. 26. jam indigitavimus: imò ex dictis immediatè, liquet, vel ipsam honestam & animæ rationali apprimè convenientem distractionem, etiam si nulla alia adveniret utilitas, sufficere. Verùm enim verò, si hoc duntaxat appretias, quòd utilitatem affert corporalem, videlicet, ut plùs aliîs manducare, bibere, & hujus mundi voluptatibûs perfrui possis, plùs de animali habes quàm Rationali.

68. Ex dictis colligitur, dicere, Deum talia ridere idem esse ac blasphemare. Quod verò addebatur: homines diversa ab iis, quæ modò narrant Theologi, in altera vita experturos; licèt speciem aliquam veri præseferat, errorem tamen sapit gravissimum. Verum quidem est, Deum & omnia spiritualia non posse in hac mortali vita cognosci per species proprias & sicuti sunt; ast per species duntaxat alienas: quod ipsum docent Theologi. Jam, quid inde? Hinc tantùm sequitur, Divina & Catholica aliter se habere quoad modum existendi aut essendi, quàm nobis imaginemur; non autem aliter quoad ipsam existentiam vel non existentiam, aut essentiam, quàm affirmemus. In exemplo. Aliter se habet Deus in modò essendi ac existendi, quàm concipere possimus, imaginamur enim nobis Eundem instar viri longævi, aut solis, aut ignis &c: Non talis est Deus, reponunt Theologi cum Augustino. Non tamen aliter se habet quoad existentiã aut essentiam, quàm affirment communiter Theologi, e. c. dum affirmant Deum dari, esse æternum, Omnipotentem, omniscium, justum, perfectissimum, Trinum in Personis & unum in Essentia &c.

69. Idem de aliis veritatibus censendum, sivè quæ expresse ab Ecclesia, credenda proponuntur; à Scholasticis verò contra hæreses strenuè defenduntur: sive in quibus, tametsi nondum explicitè ad credendum propositis, conveniunt Theologi. Quin imò vel in iis, de quibus disputant & controvertunt Scholastici, seu alii

affirmant, alii negant, pars una contradictionis necessariò debet esse vera, cùm aliquid nec esse nec non esse, manifestè implicet. Ergo universaliter & irrestrictè asserere, nos diversa ab iis, quæ modò docent Theologi, comperturos postea, est à veritate longissimè aberrare.

PRINCIPIUM QUINTUM.

70. *Opuscula Controversa & Disputationes in materia Fidei; nonnisi ad tricas & animorum exulcerationes fovendas valent. Igitur proscribenda sunt talia.* Respondeo: expende haud perfunctoriè ea, quæ dicam, ut discas rectiùs sapere, per animæ salutem te obsecro! Demonstrabo enim, in hoc Pseudo-Principio & Fidem & Charitatem, & Pietatem Christianam prorsus defecisse.

71. *Primò*, Vel credis illos Fidei Caholicæ articulos, quos Editionibûs nostrîs Polemicîs adversus dissidentes propugnamus; vel non credis? Si credis, & nihilominùs Lucubrationes aut Disputationes hujusmodi reprobas, Ergo pietate & charitate destitutus es, quòd nolis edoceri Proximum ea, quæ judicas ad salutem necessaria esse. Imò nec Fidem habes, cùm non admittas, (quod toties Scriptura indigitat) prædicandam, tuendamque Religionis veritatem, Errores verò, ne tot animæ pereant, omni studio & conatu reprimendos esse. Si autem non credis, igitur non es Catholicus. Imò nihil re vera credis Fide Divina, sed solùm dicis, quædam te credere, aut ad summum Fide duntaxat humana, nonnullis juxta arbitrium tuum assentiris veritatibus. Quod ipsum breviter sic declaro: Si enim Fide Divina Dogma

dogma aliquod crederes, e. c. Deum esse Trinum & unum, moveri deberes ad id revelatione Dei: ast nequaquam moveris; aliàs enim pariter ad illa credenda, quæ moderni oppugnant, Dissidentes, movereris: cùm æquè tibi constat, hæc à Deo (cujus Testimonium æqualis est authoritatis in omnibus) revelata esse, atque Mysterium Sanctissimæ Trinitatis.

72. *Secundò*, Vel approbas Christi Domini & Apostolorum in materia Fidei agendi modùm; vel non? Si non approbas, qua fronte te Christianum vocitas? Si verò approbas, rudis es & in sacris Literis prorsùs non versatus, eò quòd Disputationes, quas toties salvator ipses sicut & Paulus aliiq; Discipuli instituêre, inconsultè vitupe-res. Sexcenta omitto Exempla. Mat. 22. v. 42. scriptum est; *Congregatîs Pharisæîs, interrogavit eos Jesus dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cujus Filius est? dicunt ei, David: Ait illis: Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum; dicens: Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis &c. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere Verbum.* Quis non videt, Christum eâdem disputandi methodô oppugnasse olim adversarios suos, quâ nos hodie nostros?

73. Imò & confundebat errores, multîsque rationibûs ac sequelîs convellebat. Exem. cau. Mat. 23. *Væ vobis scribæ hypocritæ! quia clauditis Regnum Cœlorum, ante homines, vos enim non intratis, nec introëuntes sinitis intrare. Væ vobis Duces cæli! &c:* Ubi toties væ ingeminat, variîsque argumentîs cæcos esse demonstrat. Numquid non disputavit &

Paulus

Paulus toties, e. c. Act. 19 v. 8. 9. *Per tres menses disputabat, suadens, de Regno Dei. Et Segregavit Discipulos, quotidie disputans in Schola cujusdam Tyranni &c.*

74. *Tertiò*, Vel tenes firmiter, hæc quæ Disputationibûs & Opusculîs nostris Polemicîs tuemur contra dissidentes, á Deo esse revelata; vel non tenes? si non: Ergo non es Catholicus: aut nomen igitur muta, aut mores. Si tenes, & Scripta nihilominùs nostra Controversistica obtrectationibûs laceras, ergo injuriosus es, *1.* in Deum ipsum, volendo ut ea homines ignorent, quæ præcepit ac revelavit. 2. In S. Matrem Ecclesiam, quam contemni quidem & oppugnari ab Adversariis, non tamen defendi à suis Doctoribus, permittis. 3. In tot animarum salutem, quas obstructô ad veritatem inveniendam tramite, in errore culpabili persistere, &, quod inde sequitur, perire in æternum, desideras.

75. Quidnam utilitatis, tot Editiones nostrorum polemicæ adferant (reponit hìc obtrectator quispiam) non video. Dissidentes in opinione sua persistunt; nam vellicationibûs hujusmodi non sanantur vulnera, sed exulcerantur. Respondeo: bene dixisti, te non videre: excæcatum siquidem malevolentiâ esse oportet illum, qui utilitatem adeo luculenter sive in Conversione haud paucorum Dissidentium, qui veritati acquiescunt; aliorum verò dispositione proxima ad eandem; sive in tot debilium Catholicorum Confirmatione, relucentem non advertit. Putasné, omnes simul Protestantes, aut saltem potissimam eorum partem, ad Ecclesiam subitò redire

dire debere, aut labor noster utilitatis aliquid contulisse censeatur? Rem profectò inauditam à Sæculis, desideras. Facimus, quantùm pro modulo nostro, Divina auxiliante gratiâ possumus, grandiora molimina altissimæ Providentiæ committentes. Vulnera præfatô mòdô non sanarii, subjungis: an nescis, ulcera reperiri ejusmod, quæ, ut sanentur, secanda sunt & ustulanda? Experientiâ prætereà compertum haberi scias, Sectariorum adversùs Ecclesiam molimina, nulla re magîs, quàm remissione nostra invalescere: nec unquam minùs, sive in scriptis sive in factis, formidanda esse, quàm dum non timentur à nobis.

PRINCIPIUM SEXTUM.

76 *Sectariis propter Religionem non simus molesti: relinquamus eos conscientæ suæ: cùm unusquisque de propriis actionibus, Deo sit rationem redditurus.*

77. Tu! tu strictissimam Deo, redditurus es rationem de animabus omnibus, quas perversîs ejusmodi Principiîs, à veritatis & salutis tramite injuriè detines. Non solùm unusquisque pro se responsurus, sed pro aliis illi, qui in Jurisdictione publica constituti, errores & vitia non subvertunt, suosque, quantùm possunt, non retrahunt ab interitu.

78. *Principium hoc adversatur Christo Salvatori nostro*: qui Mat. 18. v. 17. disertè statuit: *Si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Et Matt. 7. v. 15. Cavere jubet falsos Prophetas, id est errorum Magistros, lupis rapacibus, quos deinde Joan. 10. v. 12. baculô Pastoralî coërcendos esse docet,

docet, assimilando. Et si flagellô castigavit homines Templum lapideum dishonorantes, Joan. 2 v. 15. Quomodò castigari nollet eos, qui Ecclesiam Dei vivam innumerîs violant calumniîs & convitiîs?

79. *Principium hoc adversatur Apostolis & manifestæ scripturæ.* S. Paulus enim ait 1. Cor. c. 5. *Nescitis, quia modicum fermenti totam massam corrumpit? auferte malum à vobis ipsis.* Et Tit. 3. v. 10. *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem devita.* Et 2. Thes. 3. v. 6. 14. *Denuntiamus autem vobis in nomine Domini nostri JESU Christi, ut subtrahatis vos ab omni Fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem, quam acceperunt à nobis. Quodsi quis non obedit Verbo nostro, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* Imò 1. Cor. 5. v. 4. decreverat dicens: *Judicavi, cum virtute Domini nostri JESU Christi, tradere ejusmodi satanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini nostri JESU Christi.*

80. *Principium hoc adversatur omnibus etiam antiquissimæ Ecclesiæ sanctis Doctoribus, totque piissimorum Regum ac Imperatorum Decretis & sententiis.* Exem. cau. S. Augustinus circa An: Christi 390. contra Crescentium Grammaticum l. 3. c. 51 tom. 7. laudans Nabuchodonosorem, quod graves pœnas adversùm blasphemantes Deum, Danielis statuerit, sic loquitur: *In hoc Reges, sicut eis Divinitùs præcipitur, Deo serviunt, in quantum Reges sunt, ut in suo Regno bona jubeant, mala prohibeant, non solùm quæ pertinent ad humanam Societatem, verùm etiam quæ pertinent ad Divinam Religionem. Frustra dicis: relinquas libero arbitrio. Cur enim non in homicidii, & in stupris,*

& in quibuscunque aliis facinoribus & flagitiis, libero te arbitrio dimittendum esse proclamas? Quæ tamen omnia justis legibûs comprimi, justissimum & saluberrimum est. Item Tom. 2. Epist. 146. ad Donatistas: *Constantinus prior contra Patrem Donati severissimam Legem dedit. Hunc imitati Filii ejus. Quibus succedens Julianus desertor Christi & inimicus, supplicantibus vestris Rogotianô & Pontió, libertatem perditioni Patris Donati permisit. Denique tunc reddidit Basilicas hæreticis quando Templa Dæmoniis: eó modó putans Christianum Nomen posse perire de terris, si unitati Ecclesiæ, de qua lapsus fuerat, invideret, & sacrilegas dissensiones liberas esse permitteret.* Item Epist 48. ad Vincentium: *Donatistæ nimium inquieti sunt, quos per ordinatas à Deo Potestates cohiberi atque corripi, mihi non videtur inutile. Nam de multorum jam correctione gaudemus, qui tam veraciter Catholicam unitatem tenent atque defendunt, ut eos cum magna gratulatione miremur.*

81. Pariter & S. Hieronymus in illud Gal. 5. *Modicum fermenti totam massam corrumpit*, scribens, disserit: *Igitur scintilla statim atque apparuerit, extinguenda, & fermentum à massæ viciniâ semovendum: secandæ putridæ carnes: scabiosum animal à caulis ovium repellendum: ne tota Domus, Corpus Massæ, & pecora, ardeant, putrescant, corrumpantur, intereant, Arius una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa, totum orbem ejus flamma populata est* Et horum vestigiis, Christi videlicet, Apostolorum, Ecclesiæ Doctorum, piissimorum Principum, Regum, ac Imperatorum insistens Respublica Polona, tot statuta apprimè salutaria, e c. in Celeberrima illa Confæderatione Corcinensi, contra Sectas Roma-

nam

nam Catholicam Religionem oppugnantes, condidit.

82. *Principium hoc adversatur Charitati Christianæ*: Et quidem *1.* Charitati quæ debetur Catholicis. Quicunque enim liberum erroribus concedit passum, iste, ut Populus noster iisdem inficiatur, permittit liberaliter. Sicut enim Parens ille, qui cibaria quædam in toxicato Filiolis suis apponi dissimularet, tametsi ab iisdem recedens, seriò moneret, ne quidpiam inde gustarent, gravissimè contra Charitatem delinqueret, eò quòd periculo proximo, tenellos suos, qui ordinariè nituntur in vetitum, exponeret: Ita multò magis delinquunt, qui venenum animæ, errores videlicet in Fide, protinùs non removent à populo: 2. Adversatur Charitati, quam debemus Dissidentibus. Sicut enim is, qui conanti Vitam sibi, gladiô, sclopô, aut reste, abripere, non resisteret, dum potest, haud leviter contra Charitatem peccaret: nec lex dari potest humana, quæ licentiam se ipsum interficiendi tribuat homini; Ita delinqueret à fortiori, qui errantibus circa Fidem, adeòque in æternum Animæ suæ exitium properantibus non poneret obicem: Nec ulla Lex libertatem talem concedere potest hominibus.

83. *Principium hoc adversatur Charitati erga sanctam Matrem Ecclesiam*: Tum quòd re vera velit, liberrimè permittendum esse ministris adversariorum, ut pro more suo, mille contemptibûs, calumniîs & mendaciîs Ecclesiam nostram afficiant. Tum quia omnibus promiscuè licentiam dat novatoribus, ut variis & peregrinis insisten-

do

do doctrinis, innumeras hæreses olim jam in primitiva Christianitate anathematizatas ac sepultas, denuò in perniciem Ecclesiæ Catholicæ resuscitent.

84. Certè, quidquid antiqui olim errorum Magistri divisim, hoc moderni conjunctim docent. Exem. cau. Ariani negabant Deo Trinitatem Personarum, eò quòd voces hæ expressè non habeantur in Scriptura. Idem hodie Mennistæ & Anabaptistæ faciunt. Nestoriani, Ariani, Eutychiani, Ecclesiæ Traditiones respuebant, nihil aliud credere volentes, nisi quod clarè ac dilucidè in sacris Literis exprimeretur: ut testatur Synodus 7. act. 1. Et S. Augustinus l. 1. c. 2. contra Maximinum. Idem & nunc docent Evangelici. Simoniani & Eunomiani affirmabant solam Fidem absque bonis operibus justificare: ut videre est apud Augustinum de hæres. c. 54. Quod ipsum omni conatu promovent Prædicantes Lutherani. Manichæi dicebant, hominem habere liberum arbitrium (vide Augustinum de hæres. c. 46.) Sic Calvinistæ ac Jansenistæ. Donatistæ somniabant periisse Ecclesiam Christi visibilem, solùmque mansisse invisibilem: ut scribit Irenæus apud Eusebium Hist. l. 5. c. 20. Paria somni ludibria experiuntur novatores.

85. Jovinianus jejunia Ecclasiastica rejiciebat, docensque Matrimonium melius esse Cælibatu, Virgines de Claustris extrahebat: ut narrat Augustinus de hæres c. 33. Et Epiphanius hæresi 17. Vigilantius Reliquias, Cultum ac Invocationem Sanctorum oppugnabat: ut refert S.

 Hierony-

Hieronymus contra Vigilantium. Ariani blaterabant, sacrificia, orationes, & eleemosinas non esse faciendas pro defunctis: ut testatur Augustinus de unitate Ecclesiæ c. 12. Berengarius realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam pernegabat. Leo Isaurus Imagines sacras proscripserat. Donatistæ vocabant sedem Romani Pontificis, sedem pestilentiæ. &c. Hæc omnia a modernis renovantur novatoribus. Quicunque igitur præfato insistit Principio, nihil aliud svadet, nisi ut antiquæ hæreses, jam per tot sæcula sepultæ, & putrefactæ, totiusque Christiani Orbis judició ad tenebras damnatæ, denuò revivi-scant, & Dei Ecclesiam discerpant fædissimè.

86. *Principium hoc adversatur Charitati Deo debitæ*, non solùm quantenùs universaliter procedens, illis quoque Sectariis, qui Sanctissimā Trinitatem, & Christum Deum esse negant, permittit blasphemandi libertatem; verùm etiam, quòd licentiam quibuscunque aliis tribuens, vel ideo concedat, ut homines partim in renitentia Spiritui sancto manifesta, partim in dubio culpabili circa ea, quæ credenda & facienda sunt ad salutem, adeoque in continua Dei offensa perseverent.

87. *Principium hoc adversatur bonis moribus*: cúm velit ut huic doctrinæ nulla molestia fiat, nullus ponatur obex, quæ maximum virtutibus bonisque moribus struit obicem: Videlicet de Prædestinatione & Reprobatione Calvinistica; de sublatione liberi arbitrii in ordine ad benè vel malè operandum, Jansenistica; de necessitate ad pecca-

peccandum. &c. Hac enim præconcepta, quis de virtutum studio vellet esse sollicitus?

88. *Principium hoc adversatur Paci & tranquillitati publicæ.* Nam ubi scindi di idique Religio permittitur, pax vera, aut conjunctio animorum dari nequit: nisi forte Fides, & quæ ad animæ salutem pertinent, pro nihilo habeantur. Quomodo, quæso, amicitia cum illo coli poterit stabiliter, qui contemnit meam Fidem, mea Sacramenta & media salutis, meamque explodit devotionem? qui me Idololatram vocitat, eaque omnia ridet, quæ ego magni facio? quem assiduè cavere debeo, ne me colloquiô illaqueet, suîsque implicet erroribûs?

89. Experientiâ quoque didicimus, eos præcones, qui Romanæ Catholicæ Ecclesiæ opponuntur, ad tumultus & violenta consilia contra eandem, modò sese occasio offerat, commovenda, multùm propensos esse: ut experta est Germania, Gallia, Polonia, Hungaria, Belgium, Transylvania &c. Constatque, eosdem unà cum suis, ubicunque invalescunt, omnî possibilî studiô Catholicos opprimere, à dignitatibus publicisque muniis excludere, ac tandem sensim vel cogere ad Sectam suam, vel de medio sui tollere: adeò, ut ab hoc procedendi modo, nequidem ibi, ubi Potestas suprema dominatur Catholica, valeant se continere. Vel in ipsa Polonia, sicubi prævaleant, quô, quæso, locô habent Catholicos? modò villam aliquam occupent, post breve temporis intervallum, paucos ibidem subditos reperies orthodoxos. Verbô, quotquot unquam Roma-

næ Catholicæ Religioni ſunt refragati, illum induerunt genium, ut, quò plùs libertatis, Doctrinæ ſuæ conceditur à Catholicis, eò plùs audeant contra eosdem: nec unquam magis Fidem noſtram perſequantur, quam dum favemus ſuæ. Quis igitur non advertit, memoratum Principium non poſſe cum tranquilitate publica ſubſiſtere?

90. Ibi Pax eſt & tranquillitas, ubi obedientia viget & juſtitia. Aſt quomodò hæc vigere poteſt, ubi Verbi Miniſtri aſſiduè hortantur Populum, ut ne quidem Eccleſiæ Catholicæ, quam Chriſtus ipſe audiendam eſſe præcepit, in rebus licèt æternam animæ ſalutem concernentibus obediat? Nec pro ſcrupulo reputet appropriare ſibi vel ipſa bona ſpiritualia? Addo: Quis pacem hanc eſſe veram dixerit, dum hominibus, ut in errore putreſcant; in dubiis & anxietatibus, quænam credenda aut facienda ſint, ut ſalvi fiant, fluctuent; ac tandem Religionem, Fidem omniaque cæleſtia poſtponant temporalibus, permittitur? Nonnè memorati Principii promotoribus illud Jeremiæ 8. v. 11. 12. convenit? *Sanabant contritionem populi mei ad ignominiam, dicentes Pax! pax! cum non eſſet pax: confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt.*

91. *Principium hoc adverſatur Lumini rectæ rationis. Primò,* quia talia conjungere ſatagit, quæ dictante hoc Lumine, ſtare ſecum nequeunt. Exempli cau. Libidinem ſentiendi in materia Fidei, & credendi, ſicut unicuique videtur. cum vera Religione; falſitatem cum veritate; Schiſmata in Fide

cum

cum pace publica & Regni tranquilltate. Verã amicitiam vel ipsi Ethnicorum sapientes sic definiebant: *Est firma concordia in rebus Divinis & politicis*: naturali ratione edocti, concordiam in Politicis servari non posse absque concordia in Divinis. Et ideò mecænas Augusto imperatori svaserat in ordine ad hunc finem, ne Sectas in Religione grassari permitteret: ut videre est apud Isocratem de Principis institutione.

92. *Secundò*, quia doctrinis ejusmodi omnem tribuit licentiam, quæ ipsum rationis Lumen naturaliter hominibus inditum oppugnant. Quid enim huic Lumini difformiùs, quàm e. c. velle, à solo statuto scripto, absque visibili Controversiarum judice, judicari; spiritualem Jurisdictionem, cujus sententiæ in rebus, quæ Religionem concernunt, acquiescant reliqui, admittere nolle; nullum Sacrificium externum, quô exterior Dei cultus exprimatur, statuere; Orationes pro defunctis Parentibus & amicis rejicere &c: &c:? Cùm nulla unquam per Orbem terrarum, vel ipsos inter Gentiles, fuerit natio, quæ Lumini rectæ rationis insistendo non censuisset oppositum esse admittendum.

93. *Principium hoc, quó omnibus Sectis plena libertas conceditur, vel ab ipsis exploditur dissidentibus*: & quidem tam Verbô quàm opere. *Verbó*, sicut e. c. à Theodoro Beza, secundo post Calvinum Protestantium Doctore, Epist. Theo. pag. 20. *Libertatem conscientiis permittere, sinere unumquemque, si volet, perire, merè diabolicum dogma est. Et hæc illa est diabolica libertas quæ Transylvaniam hodie tot pestibûs implevit,*

implevit[!], *quas nullæ alioqui sub sole Religiones tolerarent.* *Opere* quoque, cùm experientiâ compertum habeamus, nunquam Dissidentes (modò possint, nec cogantur aliunde) tantùm libertatis vel ipsis concedere Catholicis, quantùm Catholicorum remissio iisdem permittere consvevit.

94. *Tandem Principium hoc Religionem Christianam, Turcarum, aliorumque Infidelium ludibrio exponit.* Rident Turcæ *1.* blasphemantes, quasi Christus suos Cultores in unitate Religionis & concordiæ non valeat continere: Rident 2. quòd robur Christianū per tot Sectas in Fide, debilitetur adeo ut non valeamus tantopere adversùm eos proficere. Rident 3. quòd non attendamus ad illud Christi Salvatoris nostri monitum: *Omne Regnum divisum contra se, desolabitur.* Mat. 12. v. 25. Porro experientiâ docet, nullô alio modô dividi magis hominum animos, quàm per Sectas & Schismata in Religione. Rident 4. quòd vel inter ipsos Christianos reperiantur tales, qui cum Luthero Art: 34. in Bullam Leonis, sanciunt, arma contra Turcas non esse arripienda. Rident 5. quòd doctrinæ & principia ejusmodi permittantur in Christianitate e. c. sic in materia Fidei sentiendum esse, quomodò unicuique videtur; perversarum opinionum circa Deum & Religionem, Magistros non esse puniendos; vota Deo præstita non esse servanda; illum pro Reformatore Religionis & Propheta habendum de quo omnibus constaret, nullâ vitæ sanctimoniâ, nulla morum integritate, nullo rerum mundanarum contemptu, nullis jejuniis aut mortificationibûs cor-

poris

poris &c. insignitum esse &c: quæ nec à Gentibus approbantur.

95. Reponit hic quispiam: *Fides est libera, est Dei Donum*: igitur nemo compellendus ad eam. Sed respondeo, neminem quidem cogendum esse ad Fidem primitùs suscipiendam: qui tamen hoc Donum Dei semel suscepit, postea verò insolenter spernit, excutit, & profiteri renuit, compelli potest à Potestate Christiana, ut rectius sapiat, velitque Donum istud denuò recipere ac profiteri. Maximè cùm & experientiâ, & Isaiæ c. 28. v. 19. didicerimus, quòd *Vexatio det intellectum*. Hinc juxta Concilium Toletanum 4. can. 55. *Licèt Judæi ad Fidem suscipiendam cogi non debeant, tamen si eam semel susceperint, adigi possunt, ne eam deserant.*

96. Quoniam itaque Sectarii baptizati, Fidem Catholicam habitualem in Baptismo infusam suscipiunt, si postea ad ulteriorem ætatem provecti, eandem actualiter ejicere, ac profiteri nolint, sed novis adhærendo comentis, Donū hoc pervicaciter excutiant, poterunt urgeri efficaciter, & compelli svaviter, (juxta illud: *Compelle intrare Luc. 14. v. 23.*) ut idem recipiant atque profiteantur. Et ratio ulterior est: cùm enim plerique, vel velint indagare aut scire veritatē Religionis Catholicæ, malintque in dubio hærere culpabili, aut saltem in persvasione sua fallibili, ad quám modò se reflectant, dubitare coguntur; vel esto sciant, eam nihilominùs ob rationes temporales amplecti reluctantur: proinde si memorata accedant calcaria, facilè ad agnitionem veri-

tatis,

tatis, ac demũ ad liberam voluntatis resolutionem acceptandi Fidem Catholicorum, pervenient.

97. Liberum est, contrahere Matrimonium: qui tamen jam contraxit, potest adigi ut stet verbo, & uxori cohabitet. Castitas in quocunque statu, Dei Donum est: & nihilominùs, qui eam non servat, sicut oportet, castigari solet legitimè. Numquid adulter dicere potest, nemo mihi sit molestus propterea, quia Donum Dei ad Castitatem matrimonialem non habeo? nulla esset hæc excusatio. Quia in potestate ejus est, modò velit cum Gratia Dei, habere donum castitatis matrimonialis. Sic & in potestate quorumvis Sectariorum est, ut, modò velint cum Divino auxilio, habere valeant donum Fidei Catholicæ. Cùm autem multi sint, qui volunt intelligere ut benè agant, & rectè credant; multi qui sciunt voluntatem Dei, & non faciunt; urgendi igitur efficaciter, pùta tamen modô unicuique statui proportionatô.

98. Dices, Christum ipsum reprehendisse imprudentem Zelum eorum, qui eradicare zizania statuerant, dicens: *Sinite crescere usque ad messem. Mat. 18.* Respondeo, id dictante recta ratione, & juxta omnium Doctorum sensum, sic intelligendum: si quando zizania in agro aliquo, eò quod per negligentiam aut somnolentiam hominum, eradicatio non sit tempestivè facta, adeo implicantur Tritico, ut sine grandi ruina & convulsione ipsius tritici, eradicari nequeant, tunc & in talibus circumstantiis dissimulandum est ad tempus,

pus, donec venerit messis. Et hanc rationem ipse affert Paterfamilias in Evangelio v. 29. *Ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.* Applicatio est facilis.

PRINCIPIUM SEPTIMUM.

99. *Arrogantia quædam est, quòd soli Ecclesiastici de rebus Fidei statuere, controversias dirimere; sacrarum Literarum sensum determinare præsumant. Arbitrantur se tantùm scripturam intelligere: alii coguntur intellectum suum in obsequium interpretationis eorum captivare. Numquid Politici omni scientiarum laude destituti? etiam in nobis Spiritus sanctus est.*

100. En zelotypiam; per omnia similem huic Numerorum c. 16. *Core, Dathan, & Abiron steterunt adversum Moysen & Aaron: & dixerunt: sufficat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: cur elevamini super populum Domini?* sed quid Zelus iste promeruit à Deo? *Descenderunque vivi in Infernum*: subjungit scriptura. En præclarum juris communis studium! simile illi, 2. Paralip. 26. v. 18. quo Ozias ipse thus adolere voluerat Domino: cui pontifex: *Non est tui Officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum.* Quod monitum quia non curavit, continuò leprâ percussus est. En fucatam pietatem! similem illi 1. Reg. 13 v. 13. qua Saul non expectato Samuele, Holocausta Deo obtulit: cui Samuel superveniens: *Stultè egisti, nec custodisti Mandata Domini Dei tui. Quod si non fecisses, jam nunc præparâsset Dominus Regnum tuum super Israël in sempiternum: sed nequaquam Regnum tuum ultra consurget.*

101. *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Do-*

ctores? exclamat S. Paulus 1. Cor. c. 12. v. 29. Nullum profectò in Orbe terrarum Regnum daretur inordinatius, quàm Christi Ecclesia, si in ea omnes etiam sæculares docerent, id est, de rebus Fidei statuerent, controversias dirimerent, & unusquisque juxta mentem suam sacras Literas interpretaretur. Quid rectæ rationi difformiùs, quàm si oves Pastorem, Filii Patrem, discipuli Magistrum dirigere atque docere vellent? Solet quidē Spiritus S. id est Gratia ejus concedi etiam Politicis & soli Populo, sed in ordine ad hoc, ut ea quæ proponuntur sibi ab Ecclesia, valeant credere aut facere prout oportet ad salutem: non autem ad docendum, seu quod idem est, ad statuendum de Fidei articulis, ad dirimendas Controversias, ad enucleandam scripturam. *Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Doctores?* Verum hoc solis concessum Ecclesiasticis à Salvatore nostro, & quidem Spiritus S. in ordine ad præstanda talia infallibiliter, ipsi appromissus est Potestati Ecclesiasticæ, nimirùm Apostolis, eorumque legitimis successoribus.

102. Nonne Dominus ipse profitetur: *Vobis datum est nosse Mysteria Regni Cælestis, cæteris autem in Parabolis.* Luc. 8. v. 10. ? Et: *Dabit vobis Spiritum Veritatis, quem Mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Joan. 14. v. 17. Et ideo præcepit audire Ecclesiam: *Si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Matt. 18. v. 17.

103. Idem testantur Apostoli. Nonne monet

net Paulus: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Momentote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt Verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini Fidem.* Hebræ. c: 13. v, 17. 7. Et: *Sic vos existimet homo ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei. Hîc jam quæritur, inter Dispensatores ut Fidelis quis inveniatur*: (Sed ad quem spectabit dijudicare, discernere? ad Politicos? ad Sæculares? ad Populum? Nequaquam: attendite quid subjungat Apostolus:) *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humana die.* 1. Cor. 4: v 1. &c: Meritò proinde Augustinus Epist. 162. docet. Consilium Episcoporum Generale legitimè congregatum, esse *ultimum Ecclèsiæ Judicium, cui qui non assentitur, hæreticus est.*

104. Controversia olim de Circumcisione, num admittenda inter Christianos, exorta fuerat. Quis eam conclusit? Concilium Apostolórum Act. 15. Emersit Controversia circa Christi Divinitatem, quàm Arius blasphemabat. à quo dirempta? à Concilio Episcoporum Nicæno primo. Erat Controversia, num Spiritus S. verus sit Deus? quis eam adversùs Macedoniū terminavit? Concilium primū Constantinopolitanum, Controvertebatur, utrum una duntaxat Persona in Christo, & duæ Naturæ? Quis eam contra Nestorium Eutychetam ad felicem exitum perduxit? Concilium Calcedonense. Controvertebatur de Imaginibus sacris, num in Templis habendæ? Quis convicit Iconoclastas? Concilium Nicænum secundum. Controvertebatur inter quosdas, num Christus realiter sit præsens in Eucharistia, an figuratè

figuratè solùm? Quis errorem profligavit? Idem Concilium, & alia. Controversia fuit cum Græcis, de Processione Spiritûs S. Quis eam solvit? Concilium Florentinum. Idem censendum de Controversiis á Luthero, Melanchtone, Zwinglio, Calvino & aliis, excitatis, quorum errores Concilium Tridentinum ex Episcopis & doctissimis totius Christianitatis Viris Ecclesiasticis congregatum damnavit, & Catholicos quidnam credendum sit, disertè edocuit. En adverte! quorumnam sit de rebus Fidei judicare & Statuere.

105. Vel in ipsa lege veteri, solis sacerdotibus ex Dei Ordinatione competebat, de rebus Divinis judicium ferre. Exem. c. Malach. 2. v. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam: & Legem requirent ex ore ejus.* Et Ezech. 44. v. 23. *Sacerdotes Populum meum docebunt, quid sit inter sanctum & pollutum, & inter mundum & immundum, ostendent eis. Et cùm fuerit Controversia, stabunt in judiciis meis & judicabunt.* Hinc Rex Josaphat 2. Paralip. 19. v. 10. ad sacerdotes *Judicate omnem causam quæ venerit ad vos, Fratrum vestrorum, de Mandato, de Cæremoniis, de justificationibus: Ostendite eis, ut non peccent in Dominum. Amarias autem Pontifex Vester, in his quæ ad Deum pertinent: præsidebit.* En! si id veteris legis, multò magis Novæ, Presbyterio concessum est. Hoc siquidem excellentiori incomparabiliter Potestate, Gratiâ.

106. Et S. Athanasius in Epistola ad solitariam vitam agentes, laudat Hosium Cordubæ Episcopum, quòd Constantino Imperatori dixisset:

Ne præcipe nobis in hoc genere, sed ea potiùs à nobis disce: tibi enim Deus Imperium commisit, nobis ea quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Et S. Gregorius l. Epist. 25. de Mauritio Imperatore: ſcimus (inquit) *piissimos Dominos diſciplinam diligere, ordinem ſervare, Canones venerari, & ſe ſacerdotalibus negotiis non miſcere.* Si igitur vel ipſis Principibus, negotia Eccleſiaſtica tractare, de iis quæ ad Religionem pertinent, decernere &c: non eſt conceſſum, multò minùs aliis ſæcularibus.

PRINCIPIUM OCTAVUM.

107. *Nimìs dominantur nobis Spirituales. Externum Eccleſiæ Regimen in omnibus quæ ad Spiritum ſpectant, ſoli tenere præſumunt. Leges condunt, præcipiunt, prohibent, judicant, pœnis Eccleſiaſticis ſubjiciunt, ac deniqne pro Calvinis ad Poteſtatem Politicam remittunt ſæculares. Dominium hoc ſtatum & conditionem Miniſtrorum Eccleſiæ nimis excedit.*

108. Reſpondeo, hæc dum faciunt, intra juris Divini & rectæ rationis limites re vera ſe continent, nec ullatenùs nimìs dominantur. Chriſtus JESUS, Rex Regum & Dominus Dominantium, cui data eſt omnis Poteſtatas in Cœlo & in Terra, præfatum Regimen Eccleſiaſticum, ſolis Spiritualibus, id eſt, ſelectis ejusmodi Viris, quibus & prædicatio Evangelii, & Sacramentorum adminiſtratio appropriata eſt, nimirùm Diſcipulis ſuis eorum ſucceſſoribus, tribuit. Quis igitur hoc ipſum iisdem negaverit? Nec ullibi in Evangelio legitur, Salvatorem, memoratum Regimen externum Politicis, aut omni promiſcuè Fideliũ populo conceſſiſſe.

109 Matt. 19. v. 17. inquit Dominus, loquens de Fratre delinquente: *Dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Et ne quis ambigeret, nomine Ecclesiæ solos in præsenti intelligi Ecclesiasticos, immediatè sequenti versu 18. convertens se ad Apostolos, subjungens: *Amen dico vobis quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo.* Et Luc. 10. v. 1: 16. *Post hæc autem designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit eos binos ante faciem suam in omnem Civitatem &c: & ait illis: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Et Matt: 16. postquam discipuli enarrâssent, quidnam Populus de Christo sentiret, nimirùm alii Eliam, alii Jeremiam esse; Petrus verò respondisset, non ex commissione reliquorum Apostolorum, nec veluti deputatus ab Ecclesia: sed ex revelatione æterni Patris: (sicut Dominus ipse testatur v. 17. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sangvis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Cœlis est.*) *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Dixit ei JESUS: *Tu es Petrus &c: Et tibi dabo claves Regni Cœlorum &c:* Porro per traditionem clavium Petro ejusque successoribus, Romanis videlicet Pontificibus factam, supernam ac universalem Potestatem, adeoque & prædictum externum Ecclesiæ Regimen denotari, complures nos sacri Codicis sententiæ certificant. Exem. cau. Isai 22. v. 20. ubi Institutio summi Pontificis describitur, sic habetur: *Dabo clavem Domûs David super humerum ejus, & aperiet & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.*

110. Hinc sicut Apostoli ipsimet regebant olim Ecclesiam, ita & solis viris Ecclesiasticis, nunquam verò Fidelibus promiscuè, communicârunt. *Quid vultis,* (inquit Paulus) *in virga veniam ad vos, an in charitate & Spiritu mansvetudinis?* 1. Cor. 4. v. 21. Et Act. 20. v. 8. *Attendite vobis universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Et Hebr. c. 13. v. 7. *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt Verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini Fidem.* En viri spirituales sunt Præpositi! Et v. 17. *Obedite Præpositis vestris & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Et 1. Cor. 12. v. 28. *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, Doctores, &c. Gubernatores &c.*

111. Certè per annos fermè 300. paucissimi fuerant sæculares in Ecclesia Principes aut Magistratus Christiani: & tamen eadé fuit Ecclesia quæ nunc est, idem Regimen spirituale. Si igitur tunc Ecclesiastici, Jure regebant populum in Spiritualibus, cur non modò? Meritò proinde S. Ambrosius Imperatori Valentiniano (ut ipse refert Epist. 33. ad Sororem) dixerat: *Noli te gravare Imperator, ut putes, te in ea, quæ diversa sunt, aliquod Imperiale jus habere. Publicorum tibi mænium jus commissum est, non Sacrorum.* Vide plura num. 106.

112. Vel in ipso Testamento veteri, Sacerdoti, præsertim sumo obtemperare debebant omnes sæculares; nec unquam sæcularibus concessum est Regimen spirituale. Unde Deut. 17. v. 12. habe-

12. habetur: *Qui superbiêrit, nolens obedire sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, morietur homo ille, & auferes malum de Israël.* Et ideo Josaphat Rex 2. Paralip. 19. v. 1. urgebat: *Amarias sacerdos & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porro Zabadias Filius Ismahêl, qui est Dux in Domo Juda, super ea opera erit, quæ ad Regis Officium pertinent.* Quàm verò rigidè multaverit eos Deus, quicunque oppositum ausi sunt facere, constat ex dictis num. 100. infero: Ergo á fortiori idẽ concedendũ de sacerdotio novi Testamenti, cùm hoc infinities (ut ita dicam) sit præstantiùs, quàm fuerit illud.

113. Verũ enim verò, dic, quæso, in quonam nimis dominentur Ecclesiastici? Sed quid mente volvas, ássequor. Excom̃unicationis fulmen quo perstringuntur contumaces, præsertim dum pro pœnis ulterioribus ad Tribunal Politicum fit remissio, nimìs displicet. Ast im̃eritò: nam Potestas hæc innumerîs scripturæ locîs (ut constat ex dictis) evincitur. e. c. *Si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Mat. 18. v. 17. inquit Dominus. Nonne hoc idẽ est, ac esse excom̃unicatũ? *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita.* Tit. 3. v. 10. inquit Saulus. Quid aliud fit in Excom̃unicatione? Et: *Nescitis quia modicum fermenti totam massam corrumpit? aufertè malum ex vobis ìpsis.* 1. Cor. 5. v. 16. 13. Et: *Si quis non obedit verbo nostro, hunc notate, & ne commisceamini cum eo, ut confundatur.* Imò S. Paulus quosdã contumaces, *In virtute Domini nostri JESU Christi tradidit satanæ in interitum Carnis, ut Spiritus salvus esset*

1. Cor.

1. Cor. 5. v. 5. Hinc Auguſtinus contra Adver. Leg. & prop. c. 17. *Horribilis res eſt per Excommunicationem tradi ſatanæ.*

114. Quòd autem Eccleſia eos, qui ad ſaniorem ſenſum pœnîs ſpiritualibûs reduci nolunt, & ejusmodi anathematis fulmina ſpernunt contumaciter, ad ſæculare Judicium remittat, rectè fit & legitimè. Cùm enim Eccleſiaſtici cavere debeant, ne unà ſcabioſa ovis inficiat alias, hicque finis, ſit Excommunicationis, (ut teſtatur ſcriptura) qua ratione huic fini ſatìs fieret, absque brachio ſæculari, dum obſtinatus anathematis Sententiæ non obtemperat? ſicut igitur alia ſcelera (ut docet experientia) per ſolam Excommunicationem ſinè Poteſtatis Politicæ adminiculo ſatìs abigi nequeunt, ita nec errores in Fide. Unde S. Auguſtinus locô ſuperiùs citatô ait: *Numquid ſatìs eſt, quòd adulterum tuum domeſticum, aut furem qui te quotidiè deſpoliat, ſacris monitîs corripias, aut Spirituali Excommunicationis gladiô ferias? hìcnè ſubſiſtes?*

115. Et hæc in Eccleſia praxis, ſubjiciendi videlicet pœnis ſæcularibus eos, qui contemnunt Eccleſiaſticas, ſemper fuerat. Circa Annum Chriſti 272, Poſtquam Eccleſiæ primitivæ Patres Samoſatenum hæreticum in Synodo excommunicâſſent, ipſe verò nec Excrmmunicationem curare, nec ſedem Epiſcopalem relinquere voluiſſet, recurſum ad Imperatorem Aurelianum, tametſi Ethnicum fecerant, ſupplicantes, ut eundem vi expelleret, ne homines errore ſuo inficeret; quod & præſtitit Imperator.

tor. Similiter Constantinus (ut refert Euse-
bius l. 7. c. 24) ad Episcoporum instantiam, A-
rium, prohibuit redire Alexandriam. Idem fa-
ciebant Constantini Magni successores cum aliis
hæreticis, quos nunc mulctâ pecuniariâ, nunc
Exiliô, cæterisque pœnis coercebant: ut videre
est apud S. Augustinum Tom. 2 Epist. 146.

116. Nec propterea crudelitatis nota inuren-
da Ecclesiæ: id siquidem unicè facit propter
salutem tum infectorum, ut sanentur; tum alio-
rum, ne inficiantur: quam negligere, maxima
foret crudelitas. Nemô Deô clementior est, &
nihilominùs severè punit peccatores; imò & il-
los quos diligit, castigat. Mitissimus virorum
fuerat Moyses, quamvis Exo. 32. & Nume. 16.
Deo, sibique rebelles gravissimè mulctaverit. E-
lias, Elisæus &c: Viri erant mansvetissimi, non
tamen à puniendo abstinebant. Mansvetudo
prudens & charitas non in hoc consistit, ut nun-
quam plectantur delicta; sed potiùs, ut bono fi-
ne atque ex amore proximi, dum id animarum
salus exigit, puniantur: videlicet, ut redeant ad
cor prævaricatores, alii metuant, Innocentes ve-
rò à corruptela defendantur.

117. Hic quidam ingrati, & immemores eo-
rum à quibus Fidem & salutis viam didicerunt,
reponere non verentur: Ecclesiasticorum esse,
ministrare Fidelibus bona animam concernentia;
non regere, non imperare: Ministri siquidem
Ecclesiæ in sacris Literis nuncupantur. Verùm
Respondeo, duplex dari Ministerii ac servitii
genus: unum est laborare & servire *regendo ac*

præsiden-

præsidendo; alterum, laborare & servire *obediendo & parendo*. Secundùm competit mancipiis, aut iis qui promissô sibi stipendiô, ad serviendum utilitati temporali conducuntur. Porro Ecclesiæ Ministri, qui multò magis sunt Dei servi quàm hominum, non ad secundum servitii genus (ut est manifestum) sed ad primum, (ut constat ex scriptura num. 109) referuntur. Serviunt non Corpori, sed animæ, dona subministrando Cælestia. Serviunt Ecclesiæ, sed eam regendo. Serviunt Fidelibus, sed sicut Magistri Discipulis, sicut Patres Filiis, sicut Pastores ovibus, sicut Præpositi subjectis sibi in Spiritualibus.

118. Urgent adhuc nonnulli cum Calvino Insti. l. 4. c. 20. qui contra Ecclesiæ Catholicæ Regimen & Monarchiam adducit ac perversè exponit illud Luc. 22. v. 24. 25. *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major? Dixit autem eis: Reges Gentium dominantur eorum -- vos autem non sic.* Respondeo, sicut hìc ita & alibi, e. c. Matt. 20. v. 26. Christum nequaquam Regimen externum Spirituale aut Monarchiam ab Ecclesia removisse, sed potiùs instituisse; solùmque monuisse, hanc diversam esse debere à Monarchia Gentilium Politica. Primò enim non dicit Dominus, vos non præsidebitis ullô modô, ast, *non sicut Reges Gentium.* Dicere autem, *tu non sic præeris ut ille*, idem est, ac dicere, *tu præeris quidem, sed aliter quàm ille.* Deinde eodem capite, v. 26. clare subjungitur: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui Præcessor est* (quod ex Græco Ducem ac

 Princi-

Principem denotat) *sicut Ministrator.* Igitùr unus designatus erat à Domino Major, Præcessor, Dux & Princeps inter cæteros. Hic autem ministraturus erat reliquis, sed præfato ministrandi modo, regendo videlicet & præsidendo. Sicut & ipse Salvator proculdubio regebat Ecclesiam, quamvis dixerit: *Filius hominis non venit ministrari sed ministrare.* Matt. 20. v. 28.

PRINCIPIUM NONUM.

119. *Divitias nimis multas possident Ecclesiastici. Non talis eorum status in Ecclesia primitiva fuerat. Non sic pompaticè incedebant olim Apostoli, ut modò Episcopi, aut S. Petrus, sicut Romanus Pontifex.*

120. Respondeo 1. Quidquid possident, jure possident: nec tuum est, judicare, nimis nè an non possideant. Complures reperiuntur nobiles aut Concives, qui te Fortunæ bonîs superant incomparabiliter. Quid? Igitur eripienda illis superflua, ut omnes reddantur æquales? nemo prudens id dixerit. Ergo multò minùs dicendum de bonis spiritualium.

121. Respondeo, 2. falsum est, quòd nimìs multa possideant. Siquidem tantùm illis de bonis Ecclesiasticis participare duntaxat permittitur, quantùm ad congruam eorum sustentationem, spectatâ uniuscujusque, statûs, dignitatis, Conditionis proportione, sufficit. Quòd autem reliquum est, (si fortè est) tenentur in pauperes & Ecclesiæ decorem, aliaque pia opera, ad commune Religionis emolumentum, convertere. Sicut plurimi Beneficiati plùs quàm satis, faciunt. Si quis autem non fecerit, Deo reddi-

reddituros est rationem. Nec ad te, sed ad Ecclesiæ Rectores spectat, talia dijudicare.

122. Quod verò de externo Ecclesiasticorum statu & apparentia dicitur, hanc nimirum non fuisse tantam in Ecclesia primitiva, ex circumstantiarum & illius ævi ignorantia provenit. En ineptias! Eratne possibile, ut calamitoso illo tempore, quando Christiani omnibus Fortunæ bonis impunè spoliabantur ab Infidelibus; cùm Episcopi & Sacerdotes, alii raptarentur ad carceres & tormenta; alii pellerentur in exilium; alii abscondi in antris, alii fugere de Civitate in Civitatem, alii sub vulgari vestimento latere cogerentur &c: possibilenè erat, ut protunc juxta gradum & proportionem Dignitatis suæ Ecclesiæ, sicut modò, comparerent in publico? poterantnè illîs sæculîs, Christiani decorem Domûs Dei, & Ecclesiarum Ornatum, ad ædificationem spectantium promovere? Quid? num protunc quoque pulsari palam Tympana & Organa debebant, inflari tubæ, Processiones institui, ad Elavationem sanctissimi Sacramenti explodi Tormenta &c: ut talia modò liceant? ubi prudentia? Verbô: Quoniam in præfatîs circumstantiîs tantus apparatus fieri non poterat, ideo nec fiebat.

123. Postquam verò Imperatores & Principes Fidē suscepêre Christianam; paxque Ecclesiæ Catholicæ ac libertas restituta est; Postquam tot tantique Viri etiam de Regum ac Principum Prosapia, Romano Catholico Presbyterio aggregati & consequenter ad congruam eorum sustentatio-

ſtentationem reditus ſtabilis, inſtitutis ubique fundationibûs, donati ſunt: aliam confeſtim Prælatorum ac Eccleſiarum dignitas, ad Dei gloriam, Chriſtianæ Devotionis Majeſtatem, & ædificationem Populi efficaciùs promovendam, faciem induerat. Verbô, quando hic ſacrorum apparatus manifeſtari non poterat, prudenter celabatur; dùm verò poteſt, explicatur prudentiſſimè. Ut patet ex communi ſenſu non ſpiritualium duntaxat, ſed & Politicorum, tot Regum, Príncipum, ac piiſſimorum Virorum, bona ſua in memoratum Eccleſiæ decorem contribuentium. Quorum refragari judicio, eſt delirare.

124. Addo: ſi Eccleſiæ Prælati, bonis ejusmodi, adeóq; externô robore non eſſent inſtructi, quid contra tot diſcolos, contumaces & mundo deditos Chriſtianos monitìs ſuìs ſalutaribûs proficerent? quomodò ſcandala & morum corruptelas efficaciter averterent? profectò, Poteſtatem quàm à Deo habent, nunquàm debitè exercere poſſent. Patet id in oppoſitorum Prædicantibus, qui nunquàm audent Potentiorum flagitia inſectari urgentiùs: & ſiquis tentet, de ſtatu ſuo ad extremas anguſtias deturbatur. Student proinde placere hominibus, eaque prædicare, quæ ſibi à Politicis præſcribuntur. Nonnè verificatur de illis, quòd Apoſtolus prædixerat: *Erit tempus, cùm ſanam Doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum avertent ad fabulas autem convertentur* 2. Tim. 4. v. 3.4. Tales

ne in

ne in Ecclesia Catholica Doctores, O perverse invidiosorum principiorum fabricator! habere desideras, qui, postquam in multis Christiana illa defecit simplicitas, & intumuit unà cùm Potentia vanitas, necessitate propria impediti, vel non audeant, vel non valeant dicere atque tueri veritatem? aliter monet Apostolus: *Prædica Verbum, insta opportunè importunè: argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* 2. Tim. 4. v. 2.

PRINCIPIUM DECIMUM.

125. *Possunt saltem successores & hæredes de illis fortunæ bonis Spiritualibus disponere pro libito, quæ eorum Antecessores, Parentes, aut proavi donârunt Ecclesiasticis.*

126. Respondeo, id eos nullo jure sive Divino sive humano (nisì fortè lupino) posse. Licetnè tibi, hoc quod Pater vel Avus tuus donavit aut vendidit vicino, eidem eripere? Ergo multò minùs licebit usurpare ea, quæ Deo in servis suis donata & consecrata sunt. Num vicinus tuus jus habet strictius, quàm Dei servi, quàm Deus ipse? Deus Antecessoribus, Parentibusque tuis inspiraverat: (ut simile quid videre est Exo, 13.) Hæc mihi dabitis, in conservationem Famulorum meorum, & recognitionem altissimi Dominii mei: ut sciatis, cuncta quæ possidetis, à me haberi, & omnia vestra, mea esse. Obtemperârunt Divino Mandato boni Parentes tui: contulerunt villas, agros, census, decimas in sustentationem sacerdotum honestam, congruam ac proportionatam statui suo; in

in provisionem, Ecclesiis, Scholis Hospitalibus, Viduis atque pupillis faciendam. Ast Filius degener, nepos impiùs, talia piissimè legitimèque data, donata, atque possessa, Deo in servis suis, in pauperibus suis eripere non veretur! Quo, quæso, Jure? manifestum est, quòd non Christiano: imò nec Ethnico: cùm nullibi legatur, Gentiles legem tam barbaram, tam iniquam, tam impiam condidisse.

127. Verùm enim verò, si Justitiæ ac Pietatis rationibûs non moveris, saltem te injuriarum hujusmodi ultrix pœna, quàm Deus statim ab initio Ecclesiæ, ad omnium Posterorum terrorem & cautelam, in Anania & Saphira uxore ejus, monstrare voluit, rectiùs sapere edoceat. Virum hunc S. Petrus Act. 5. v. 4. sic alloquitur: *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat Potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus sed Deo. Audiens autem Ananias hæc Verba, cecidit & expiravit. Et factus est timor magnus super omnes qui audiverunt.* En! si ipsimet Ananiæ, qui sponte propria Agrum suum in Ecclesiæ bonum vendiderat, non licebat, voluntatem suam retractare; multò minùs id licuisset hæredibus suis.

128. Vel in Ethnicis ausus ejusmodi non reliquit Deus impunitos. Dan. 5. postquam Balthasar aurum ac argentum de Templo Salomonis, à Patre suo Nabuchodonosore asportatum, in profanos usus convertisset, eadem nocte misserè periit. Quo casu perterriti Reges successores ejus, præfato Ecclesiæ Thesaurô uti non

aude-

audebant. Sed mansit in Babylonia annis 70. donec Cyrus in Regnum hoc successor, (ut videre est 1. Esdræ 1.) eundem Jerosolimam servis Dei intactum remiserit.

129. Ast huic saltem (reponit quispiam) licebit bona Ecclesiastica ab Antecessoribus suis donata, recipere, qui Fidem excutit Catholicam, talesque sibi adsciscit Ministros, qui docent, talia licere. En jus commentitium contra Dei & Naturæ legem fabricatum! En novum & inauditum acquirendi Juris titulum! Ideonè, quòd unum delictum commiseris, jam licebit patrare & alia? Audi! quid tibi Deus, quid Ecclesia respondeat. Quòd Fidem abjeceris Catholicam, in tuam hoc fecisti perniciem. Ast quod meum est, ne tibi usurpaveris. Mutâsti Religionem: sed Antecessorum tuorum, Fidem Catholicam profitentium, nec de Luthero aut Calvino cogitantium voluntas ac donatio, solis Romanæ Ecclesiæ sacerdotibus, & adhujus Ecclesiæ Religionē ac devotionē promovendā facta, manet immutabilis. Quæ Lex, quæ recta ratio, jus tribuere potest, ut si quis Relionem nostram excutiat, jam eo ipso, hæc in suos usus convertere, aut aliis elargiri valeat, quæ sacerdotibus Catholiciis, olim donata sunt?